Luxdorph

TRACTATUS
HISTORICO - PHYSICUS
DE
AGRICULTURA ISLANDORUM

PRISCIS TEMPORIBUS CUM SUCCESSU USITATA, POSTEA EXOLETA, & JAM RESTAURANDA,

AUCTORE
JOHANNE SNORRONIO
ISLANDO,
PHILOS. BACCALAUR.

HAVNIÆ, 1757.
Typis *LUDOLPHI HENRICI LILLIE*.

Imprimatur.
J. C. KALL.

EXCELLENTISSIMO

ET

ILLUSTRISSIMO

HEROI

ADAMO GOTTLOB DE MOLTKE

COMITI DE BREGENTVED, LIBERO BARONI DE LINDENBORG, DOMINO DE TRYGGEVELDE &c.

SPLENDIDISSIMI ORDINIS ELEPHANTINI EQVITI AURATO, SANCTIORIS CONSILII SUPREMO AULÆ MAGISTRO, MENSARIORUM HAFNIENSIUM DIRECTORI,

REGIÆ ASIATICÆ SOCIETATIS & ACADEMIÆ PICTORIÆ REGIÆ PRÆSIDI.

ILLUSTRISSIMO & GENEROSISSIMO
HEROI

OTTONI THOTT,

ORDINIS DANNEBROGICI EQVITI AURATO, S. R. M. DAN & NORV. A CONSILIIS INTIMIS, SUPREMO CAMERÆ DANICÆ PRÆFECTO; & SOCIETATIS REGIÆ SCIENTIARUM MEMBRO HONORARIO.

GENEROSISSIMO & ILLUSTRISSIMO
HEROI

OTTONI MANDERUP COMITI DE RANTZAU,

ORDINIS DANNEBROGICI EQVITI AURATO, ISLANDIÆ & FÆROARUM PRÆFECTO REGIO, IN SUMMO JUSTITIÆ TRIBUNALI ASSESSORI, & SOCIETATIS BONIS LITERIS DICATÆ MEMBRO HONORARIO.

UT ET

ILLUSTRISSIMO & GENEROSISSIMO

FRIDERICO WILHELMO LIBERO BARONI DE WEDEL,

SACRI CUBICULI PARASTATÆ CLIDUCHO, NEC NON SECUNDO CAMERÆ DANICÆ PRÆFECTO.

TENUES HASCE STUDIORUM ACADEMICORUM PRIMITIAS, SUMMA ANIMI RELIGIONE, HUMILLIME OFFERT & DEDICAT

TANTORUM NOMINUM

SUBJECTISSIMUS CLIENS

AUCTOR.

M ulta ſunt graviſſimaqve rationes, qvibus adductus, tenuem hunc ingenii fœtum, Veſtrum Exellentiſſimis & Celſiſſimis Nominibus *ſacrum facere auſus ſum.*

ſum. Incomporabilis enim, qvô omnes Muſarum cultores amplectimini, favor; ſumma illa, qvâ polletis, ut maximarum rerum, ita Oeconomicæ prudentia & peritia; qvin divinâ fere interceſſio, qvâ ſemper qvidem, maximè tamen deplorandæ hujus inediæ tempore, Islandiæ coram Regio Numine oraſtis cauſam; hæc inqvam omnia, ſpem mihi faciunt, præſentem materiam, VO-

 BIS

BIS ſaltem non diſplicituram fore. Accipite ergo Excellentiſſimi Heroes *& Patriæ meæ* Patroni *inclytiſſimi, fronte qva ſoletis ſerena, hanc de Islandorum agricultura tractatiunculam, ex qvâ patere unicuiqve ſpero: priſcorum in ea ritè inſtituenda ruditatem: obſoletæ mediô ævô cauſas: hôc vero noſtrô, reſtaurandæ poſſibilitatem. Hoc unicum doleo, tanta me eſſe egeſtatè preſſum, ut intra* an-

anguſtiſſimos hosce cancellos ſubſiſtere ſim coactus; undè omnia, qva oportuiſſet accuratione, non ſunt expoſita, verum multò plura, licet ſcienti, invito tamen, prætermiſſa, & meliori, ſi forte olim adfulgeat, reſervata fortunæ. Veſtrum autem, Excellentiſſimi & Celſiſſimi Heroes, *patrocinium ſupplex imploro, ſummumqve adoro Numen, ut* Excellentias Veſtras *qvam diutiſſime ſervet*

)(5 *inco-*

incolumes, Patriæ meæ afflictæ emolumenta, Nobilitatis Danicæ Decora, & Musarum Columina.

Vestrum

EXCELLENTISSIMI & CELSISSIMI HEROES

Patroni Patriæ meæ inclytissimi

Summa religione & devotione

Subjectissimus Cliens

JOH. SNORRONIUS.

AD LECTOREM.

Criteria certè fortunatæ Reipublicæ ſunt, terræ cultus, incolarum in arte mercatoria felix progreſſus, civium multiplicatio, & ſtabilita, qva fieri qvidem maxime poteſt, opti-

optimis legibus Oeconomiæ emendatio. Hinc dolendum mihi ſemper viſum eſt, omnia hæc in Patria mea Islandiâ deſiderari, atqve hinc præſentem elegi materiam, graviſſimam utiqve, utiliſſimam, & excitatioribus ingeniis digniſſimam, qvamvis meas immane qvantum ſuperare fatendum ſit vires. Nemo inficias ibit, agriculturam in terra qvacunqve ſumme neceſſariam eſſe, utpote, Deo ordinante, mundo adſpectabili fere coævam, primumqve vitæ humanæ adminiculum; ſed, proh dolor! multis in locis nimis ſecurè tractatur, ſusqve deqve habetur. Non mihi mens fuit, prolixè hic de

agri-

agricultura differere; qvippe cui exigua admodum est rei rusticæ & agriculturæ peritia, & librorum saltem usu edocto; qvapropter non eò audaciæ processi, ut modum aliqvem agros arandi, sementem faciendi, semina condendi &c. docerem: sed saltem cuivis hanc tractatiunculam legenti, & præsertim de agriculturæ in Islandia possibilitate dubitantibus, ante oculos ponere contentus, qvod agricultura priscis in usu fuerit Islandis, qvibus de causis penitus exspiraverit, & deniqve argumenta, de ejus de novo possibili restauratione. Non ergò expectes, Lector amice! in hac dissertatione, systema qvoddam agros co-

len-

lendi ſcientiæ, ſed tentamen leviuſculum, aliis conterraneorum ſtimulum addendi, ut tale negotium ulterius meditentur, rimenturqve.

Interim vale & conatui
juvenili fave.

CON-

CONSPECTUS.

Prolegomena, exterorum de nativa Islandiæ ſterilitate ſententias recenſent, & perſtringunt; Ulterius autem probat

Sectio Prima, agriculturam veteribus Islandis in uſu fuiſſe; & qvidem

§. 1. ab Occupatione inde Inſulæ ad ſeculi decimi finem.

§. 2. Seculo undecimo, duodecimo & decimo tertio.

§. 3. Seculo decimo-quarto; idqve ex legibus civilibus & tabulis poſſeſſionum eccleſiaſticarum.

§. 4. idem probatur ex denominationibus locorum ab agricultura petitis.

Sectio Secunda, exhibens causas exsoletæ in Islandia agriculturæ.

Causæ sunt *vel nunqvam rite stabilitæ:*

§. 1. Rudior regiminis forma, &

§. 2. Peregrinationes incolarum; vel *decrescentis:*

§. 3. Civilia bella seculorum XIImi & XIIItii; &

§. 4. Pacta, cum Insula Norvegis 1262 dederetur, frumenti exotici adductio;
vel *omnino exoletæ:*

§. 5. Pestes, morbi fatales, & annonæ caritas sec. XIIItii & præser-

ſertim ſec. XIVti; & deniqve *non reſtauratæ:*

§. 6. novorum Incolarum & Magiſtratus ignorantia, ut & præconceptæ mercantium opiniones. Finem imponit

Sectio Tertia, agriculturam præſenti tempore in Islandia reſtaurari poſſe, ſiſtens; idqve

§. 1. ex ſoli Islandici conſtitutione.

§. 2. ex aqva.

§. 3. ex äere, & tandem

§. 4. ex calore Islandiæ cum Norvegia & Svecia collato; qvod vero per recentiora experimenta non dum ſit reſtaurata, adſcribitur

§. 5. nimis ſecuro, & perverſo terram colendam tractandi modo; idqve

§. 6. respectu diversi agrorum situs, &

§. 7. præparationis seminum.

§. 8. nulla autem soli Islandiæ hodierni culpa;

§. 9. qvippe in qvo sponte nascitur frumentum agreste, &

§. 10. herbæ plurimæ, aliis sativæ, adeoqve cum fructu hic serendæ,

§. 11. Exemplo *Laurentii Gottrupii*, *Gislavi Magni*, & imprimis *Johannis Erichstruphii*.

§. 12. Media tamen ritè observanda, qvibus positis, præter indigenas,

§. 13. *Linum perenne*, *Urtica*, & *Helxine Siberica*, nec non *Lucerne Svecica*, Islandis erunt sativæ,

§. 14. Cautelis tamen, qvas cœli soliqve ratio poscit, non neglectis.

PRO-

Prolegomena.

Nullam prorſus globi noſtrì terraquei partem, vel regionem quandam orbis terrarum, mox â primorum hominum lapſu, & divinâ, quæ ſubſecuta eſt, maledictione, præ ſe tuliſſe tantam amœnitatis ſpeciem et fructificantium oſtentationem, quantâ hodie mortalium et culturæ ope luxuriat, nemini non patet: tenacī ſanè Dei ſapientiſſimi, irrogatæ ob peccatum pœnæ complementi, conſilio, qui primo homini, conquirendis è terra alimentis inſudandi fecit neceſſitatem. Ut autem media cir-

citer orbis habitabilis pars primos adepta eſt incolas et cultores, quibus terminos habitationis, quascunque mundi plagas verſus, extendendi fuit occaſio; ita etiam, non tantum non mirum eſt, ſed experientiâ confirmatum, terras poſtea inventas, auſtrum vel boream verſus, contemptas prorſus fuiſſe præ cœteris, quæ jamdudum inſigni cultorum diligentia, ad ſummum ſplendorem et dignitatem evectæ fuerunt. Exemplum præbet hujus rei, non tantûm Ægyptus, antequam Nilum in ſtupendos publici uſus incolæ convertêre, parum conſpicua: Sic etiam Italia, quæ priſco aboriginum tempore, deſerti inſtar, omnis culturæ incapax habebatur, Nunc verò nulli Regionum Europæarum feracitate ſecunda. Quàm inconveniens hodierno Germaniæ ſplendori et felicitati ſit vetuſtiſſima ejusdem terræ deſcriptio, dum *informis*

dici-

dicitur, *aspera cælo, tristis cultu, Sylvis horrida, paludibus infæcunda, frugiferarum arborum atque omnis culturæ impatiens tellus, regio aurô et argentô immunis, vilis atque omnibus despecta*, unicuique satis patet. Quid Dania, hodiè florentissima? quid Norvegia, omnigenâ celebris fertilitate, apud australiores, aliquot retrò temporibus audivêre? terræ inutiles, desertæ, montibus horridæ, quarum incolis nec serere datum esset, nec metere, vel ob soli inertiam, vel aëris intemperiem; quæ extraneorum opinio â tramite veritatis tàm longè discedit quàm quod maximè. His igitur, quæ supra consideravi, ad rectam judicii lancem expensis, haud me in mirum rapit, complurium, de patria mea Islandia, abjectè sentientium, judicium, qui nihil ibi cultum, nihil pulchrum, nihil amœnum; sed nivis et squaloris omnia plena, sterilitate horridâ

tabeſcentia; immò, quaſi merè deſerta et ſolitudines, beſtiis ſaltem, non verò hominibùs receptacula credant exſangvia. Sed præjudiciis abreptos ſingula ex ſuo palato judicare, nihilque eximium, niſi quod ipſorum opinioni conſentaneum eſt, putare, facilè evinci poteſt: Suæ enim telluris fæcunditatem, fructuumque ubertatem deprædicant; campos amœniſſimos, herbarumque vim, in ſolo natali creſcentium, incomparabilem; Verbo: Sua omnia culta, ritè diſpoſita, curioſa, nullam ferè orbi noſtro concedentes culturam aut naturæ indulgentiam; et, quod magis impium, Creatorem T. O. M. iniquæ accuſant in terras ſuppolares diſpenſationis: Aſt haud ægrè ferant, ſi ipſos helleborô egere dixero, illoque vehementiſſimô, quô vana ſuarum rerum Philavtia penitus eradicetur, frivolæque iſtorum opinioni peſſulus obdetur

tur firmissimus: nam uti דֶּשֶׁא illud generalissimum fuit, summæque efficaciæ; ita etiam ad Islandiam illud idem se extendisse fateantur; nisi fortassis illam inde ab initio creationis non exstitisse contendant; sed postmodum, non aliter ac excrescentiam quandam reliqui Orbis, prorsus inutilem, exclusam esse fingant. Prodeant in scenam Candidati ignorantiæ de Islandiæ nativa sterilitate scriptitantes, qui, quasi conjunctis viribus, patriæ meæ, ad fructus ferendos, inertiam, contuentur; utpote, inviis asperisque montibus, præruptis rupibus, saxetis continuis ac pertinacibus, quæ non tantum agricolarum labores irritos reddunt, impeditam & obsitam; sed, quod his vacuum est, stagnis paludibusque repletum; ut impossibile sit Incolas boni aliquid illic carpere posse. His adjiciunt intensissimi potentiam gelu et frigoris,

 situi

ſitui tàm boreali, ut loco proprio, familiarem. Inter externos ſcriptores audiri merentur: Ph. *Cluverus* Introd. in Geograph. Lib. III. pag. m. 138. „*Thule, vulgò nunc Island, ab immenſis* „*frigoribus et perpetua glacie, quibus dam*„*nata eſt, ſic dicta.* *Olaus Magnus*, Hiſt. „Sept. L. II. pag. 39. *Pro Majori* „*parte montoſa eſt et inculta, præſertim* „*verſus plagam Septentrionalem, ob auſte*„*ra Spiracula venti Circii, qui nec fru*„*ctus elevare permittit. Sebaſtianus Munſte*„*rus* in Coſmogr. ſua, Lib. 6. ita refert: **Die beſte Gegend dieſer Inſul iſt an den Geſtäden des Meers; denn in der Mitte iſt ſie voller Gebürg und Schnee. P. L. Berckenmeyer,** curieuſe Antiquarius, p.m. 788. „**An den Küſten iſt ſie „ziemlich bewohnet; mitten im „Lande aber iſt ſie voll rauher, „mit Schnee bedeckter, Gebürge. „Sie iſt hefftig kalt, und daher**

„un=

„unfruchtbahr, doch mit vielem „Rindvieh gesegnet. *J. C. Becmannus*, in Hist. Orb. terr. Geograph. Cap. 5. „*Terra ista, ob frigoris gravitatem, fru-„menti non ferax est.* Zorgdrager, „Grönländischen Fischerey. T. I. Cap. „7. Man giebt vor, es sey ehe „dessen, sehr fruchtbahr gewesen. „Es habe einen Uberfluß am Ge-„treyde gegeben. Anjetzo ist Is-„land so unfruchtbahr, daß gar „Getreyd alda nicht wächset.„ „Et porro: Das Land ist geräum-„lich und groß; aber nicht groß „reich: Hat viele steinigte Grün-„de, Heyden, und niedrige Ge-„büsche.„ Ut alios multos lubens omittam; qui, vel ignorantiâ vel studiô, falsa edocti de Islandiæ naturâ et Constitutione, pro veris, immo certissimis, venditare non dubitârunt. Ultimus hic procedat in Scenam propolarum et Nautarum ex Islandia

Tychopolin quotannis revertentium, credulus nimis discipulus *Joh. Andersonius*, Nachrichten von Island, §. 22. „Erd-Früchte wollen „durchaus nicht fort; theils we„gen des untauglichen Bodens; „theils wegen der gar zu stren„gen Kälte, und durchdringen„den Nordwindes. Man hat „es mehrmalen mit Rüben, Wur„zeln, und dergleichen versuchet, „aber allezeit vergebens. Por„ro § 23. Am wenigsten kan „man das Feld bauen und Korn „säen; denn wann man gleich „die Steine mühsam auslesen, „und den Boden durch Pflügen „und Dünge gut machen wolte, „würde doch der Sommer, oder „die warme Zeit, so lange nicht „währen, daß etwas reifen könte, „rc. Quam feliciter Locum ex Devt. Cap. XXVIII. v. 23. laudatus *Ander-*

soni-

ſonius, patriæ meæ adplicuerit, Phyſices peritioribus relinquo decidendum, et memorato Authore ſanioribus. Sed his non immoraturus, agriculturam in Islandia priſcis temporibus in uſu fuiſſe, primâ demonſtrabo Sectione, ſequentibusque ejusdem exoletæ Cauſas, reſtaurandæque poſſibilitatem, pro Virili, ſi non certiſſimè, tamen probabiliter, adſtruam.

SECTIO PRIMA.
AGRICULTURAM VETERIBUS ISLANDIS IN USU FUISSE.

§ 1.

Expositis inter præmissa Variorum de Islandiæ ad agrorum herbarumque Culturam inertiâ, sententiis, primò mihi, contra secus sentientes, probandum venit, agrorum cultionem priscis etiam Islandis in usu fuisse; huc quæ faciunt, ex historiis antiquis allaturus argumenta, id saltem doleo, quod non datâ operâ, sed incidenter tantum, et quasi aliud agendo, hac de re scripserint, veteres *historici*, *circumstantiis facti* cujusdam singularis describendis magis quàm Oeconomiæ antiquæ legibus ad posteros propagandis, adacti; Attamen servatâ, qua verissimè possum, temporum serie, quæ præsenti maximè inservitura duxerim proposito, adscribam.

Postquam Insula â Norvegis, circa annum Seculi Noni, Septuagesimum quartum, inhabitari cœpit, incolas statim, ut in illas devenêre sedes, terram coluisse, exemplo est Hjörleifus, Ingolfi primi Occupatoris socius,

us, in Occidentali Insulæ parte, ad quam delatus erat, sementem parans; *Lib. Origg. Isl. Lib. I. Cap. 6. pag. m.* 8. „Hjör-leifr sat „þar um Vetrin; enn um Vorit villde hann „sá; hann atti einn Uxa; enn ljet Præla„na draga Ardinn: id est: *Hjör-leivus ibi, „transactâ hyeme, vere serere parans, licet ei bos „esset, servos tamen jubet aratrum ducere.* Par huic aliud, quod in idem ferè incidit tempus, Gull-thoreri exemplum; Qui, (Por„ir eignadist Flat-ey eptir Hall-grymu, „og hafdi þar Sædi) *Flat-eyâ Insulâ*, sinus „Breida-fjördensis, in Occidentali Islandia, „*proximè post Hall-grimam potitus, sementem ibi „habuit*; Et Cap. 9. „Porir ól hest sinn, „Sumar og Vetur, a Korni. id est: *Equum suum* (Gothicum) *hyeme et æstate frumento saginavit.* Geir-mundum, qui inter nobilissimos Islandiæ aborigines, ob divitias et insignem Oeconomiæ peritiam habetur, de semente facienda cogitasse refert Landn. Par„te 2. Cap. 20. „Peir Kjallakr deildu um „Land þat, er var medal Klofninga og „Farbeins-aar; og börduſt a Okrunum, „fyrir utan Klofninga; þar villdu hveru„tveggi sa. hoc est: *Geir-mundo et Kialla„ko lis intercessit de fundo Klofningos* (montes sic dictos) *et Fabeins á* (amnem) *interjacente, armisque decertârunt in arvis transmontanis, ubi sementem facere uterque parabat.* Vi-

Vigaglumi (cædum patratoris) *vita* etiam hac de re est inspicienda, Cap. 7. Enn „þau Gjæþi fylgdu mest Þver-aar Landi, „þat var Akr, er kalladr var Vitastgjafi; „þvi hann vard alldrei upp-rerr; enn hønum hafdi so skipt verit med Landinu, at „sitt Sumar høfdu hverir. Et post: Enn „þeir høfdu Sjalf-dæmi, oc giørdu til „Handa sier Akurinn, at þeir skylldo hann „einir hafa; og ætla so at komast ad Landi„nu øllu; at kippa undan þeirri Stod, er „aadur hjellt mest uppi Raadi hennar (Ast„ridæ) Og þat Sumar, er þar fór i „hønd, atti hun at hafa Akurinn, ef ad „rjettu færi. Conf. Landn. parte 3. Cap. 20. „p. m. 123. id est: *Fundo Thuer-auensi, ager quidam, Vitastgjafi* (quòd depastioni non fuerit obnoxius,) *dictus, præcipuum accessit emolumentum; sed divisione fundi factum est, ut alternis æstatibus, singulis ex eo usum capere liceret.* et mox. *Arbitrio illis concesso, agrum, ut eo soli potirentur, sibi adjudicarunt; eô sanè consilio, ut in totius fundi possessionem, potissimas rerum Astridæ suppetias, irreperent; eâ enim, quæ appropinquabat æstate, illi, jure divisionis, Ususfructus agri competebat.* *Historia Njauli*, res quàm plurimas in Islandia, seculo decimo et initio undecimi gestas, continens, exercitæ tunc temporis ab incolis agriculturæ luculenta de-

pro-

promit teſtimonia, et quidem de Thorvaldo Oſvifuri filio, non minores frumenti quàm piſcium commeatus ex Inſulis Bjarn-eyium quotannis deportare ſolito, Cap. 9. „Thorvalldr fór ut i Bjarn-eyar, at ſækja Korn „og Skreid; *Thorvaldus in Inſulas Bjarn-eyenſes devectus frumentum et piſcium arefactorum copiam aſportavit.* Et Cap. 10. Padan hafdi han Skreid og Miøl; id eſt: „*Inde conquiſivit piſces arefactos et frumentum. Gunnarus Hlidarendenſis*, ſementem faciens, ab Orkellis, equo pænè conculcatus legitur, *Njauli Hiſt.* Cap. 47. „Gunnarr hafdi farit heiman „einn ſaman af Bæ ſinum, oc hafdi Korn„kippu i Hendi; enn i annari Hendi Hand-öxi: „hann geingr at Sadland ſitt, og ſaur þar „nidr Korninu. id eſt: *Gunnerus domo ſua ſine comite abierat, unâ manu ſacculum, frumento repletum tenens; altera autem ſecuriculam, et in agrum ſuum deveniens ſemen humi mandavit.*„ Eidem Gunnero, cit. *Njauli Hiſt.* Cap. 60. Svaſu Marderi, captioſè objectum eſt, quod Thorero cuidam agellum injuſtè extorſiſſet. Et quid quæſo! ipſi Gunnero, viro inter conterraneos rariſſimæ indolis, exſecrabile acceleravit fatum, eumque, abitionem ad exteros cum inimicis antea pactum, a propoſito revocavit, niſi arvorum agrorumque Hlidarendenſium amœnitas? De quo *Njauli Hiſt.* Cap. 68.

68. destinatum iter aggresso, hæc facit verba: „Fögur er nw Hlydin; so mjer hefr „hwn alldrei jafn-fögur synst: bleikir „Akrar, sleginn Twn, id est: *Pulcher mihi adeo tractus Hlidensis jam comparet, ut nunquam æquè: agri subrubentes, campi fœnarii demessi, et arva demessa.*„ Huic simile refert exemplum eadem *Njauli Hist.* Cap. 102. de *Höskuldo* Huïta-nesensi Choronomo, qui in agro occisus est. Atque ita, quæ hactenus attuli, satis, puto, probant agriculturæ apud Islandos studium, primô, et quod excurrit, seculo, terræ â Norvegis habitatæ, in usu fuisse; nec statim cessasse, ex sequentibus patebit.

§ 2.

Continuasse post hæc agrorum apud veteres Islandos cultum, seculis XI. XII. et XIII. non tantum ex *Björnonis Hyt-dalensium athletæ Historia* constat, quæ inter alia refert: „Ey liggr i Hytar-aa, gagn-audig ad Egg-„veri og Sel-veri: þar er Slaattr i og Sædi. „Nw munu Konur fara til at skreifa Korn &c. (*Jacet in amne quodam*, Hytar-aa *dicto, Insula, ovorum proventu et phocarum captura insignis; fœnisecium ibi est et sementis. Jam ancillæ eò ibunt frumentum in acervos collecturæ* (Sed idem et ipsum ex *Sturlungorum* Historia satis liquet, quæ Parte prima, Cap. 13. de fertilitate territorii

Reykia-

kianes, ad annum 1119. sequentia perhibet: „a Reykjanesí voru so gódir Land-kostir, „at þar voru alldregi Ofrjófir Akrar; so „þar var jafnan nytt mjol brwkad tileins og „annars Agjætis.„ id est: *Hac tempestate tanta erat Reykja-nesensibus terræ fertilitas, ut agris nunquam sterilitate laborantibus, recens ad varias farina delicias adhiberetur.* (a) Gudmundus Episcopus Skumstadas, australis Islandiæ villam, à pastore loci hospitaliter invitatus, ad annum 1201. („þar gister hann, „vygir Vatn, og geingr med helga Doo- „ma, og stockr Vatninu yfir Twn, Eing- „jar og akra.„) *ibi diversatus aquam parat lustralem, eâque, sanctorum insuper circumgestans reliquias, arva, prata, et agros conspersit.* Ad annum 1216 Magnus Skal-holtensis Episcopus: Keypti Landit a Gufunesí, til han- „da Atla, og lagdi þw Mjøl-skulld a Lan- „dit,„ id est: *Prædium Gufu-nes in gratiam Atlæ cujusdam pretio acquisivit, tributumque mox fundo imposuit frumentarium.* (b) Porro mentionem facit Hist. Sturl. parte VII. Cap. 57. Thorsteini cujusdam Hrak-auga, in colligendo frumento occupati. „Þor-steinn hjet „madr, er kalladr var Hrak-auga, hann haf- „di sokt Korn um Daginn, og kom heim „til Elld-hwss dyra; id est: *Vir quidam nomi- „ne Thorsteinus, cognomine Hrak-öiga, eodem die*

„fru-

frumento occupatus fuerat advehendo, domumque reverfus ad coquinæ fubftitit fores.„ Præterea parte VIII. Cap. 10. de Thorgilfis et Höiki Alptanefenfis pactione, eadem refert Hiftoria: „Gaf Haukr honum Prjw Sald „Mallts, og Þrjw Sald Korns, og Sex vættir ad auki. ift eft: *Donavit illi Höikus tria „fata polentæ et tria frumenti, fexque infuper „Octogepondia.* (c)„ Exftant etiam literæ Bergthori Haflidæ filii Nomophylacis, et aliorum Islandiæ primatum tunc temporis, antiquitatis plenæ, de agricultura et navigatione, tefte Svenone Sölvino, in Tyrone Juris Cap. 3. pag. m. 8.

a) Hicce locus etfi hanc Reykianefenfis territorii fertilitatem, cum Hiftoria Sturlungorum fcriberetur, quod feculo 13 factum, jam tum minui cœptam, innuat, inde tamen haud obfcurè colligi poteft ex frumento domi nato coxiffe veteres Islandos Cerevifiam et mulfum, quibus in Conviviis fuis (Gildum) lætisque Conventibus frequenter utebantur, quæque in hiftoriis audiunt Mjødr og Munngat, hofpitibusque largè propinabantur. Confirmat hanc meam fententiam expreffa in Hiftoriis antiquis mentio polentæ (Malt,) quam fi quis objecerit ex exteris regionibus Islandos conquififfe, refponderi poffe credo; quod vix unus altérve villicus majorem coëmiffet copiam, quàm

quàm quæ, propriis sufficeisset usibus, nec magnis eam mensuris, mulctæ vel spontaneæ collationis loco, aliis emensi fuissent rustici, quod tamen habetur Hist. Sturl. parte 8. Cap. 10.

b) In prædio Gufunesensi haud exiguum fuisse frumenti proventum, probabile est, dum Episcopus Magnus inde sibi tributum paciscitur, quod neutiquam fecisset, nisi ubertas agri necessariò memorati prædii habitatoribus victu major fuisset.

c) Quid sit Saldur, et quodnam mensuræ genus, heic reverâ non est disquirendum; nam satis mihi est demonstrasse veteribus Islandiæ incolis in usu fuisse agriculturam; sed majoris evidentiæ ergo paucis meam de hoc mensuræ genere proponam sententiam: Saldr, ut puto, idem denotat ac satum, (*gemma Palestinæ*, mensura aridorum, (anderthalb Mutt,) continetque sesquimodiôs 24 sine 12 Cantharos, quorum quilibet sesquimodiis duobus æquivalet; adeoque, juxta Sor. Lex: idem ac ein Maß, darein zwölf Kannen gehen. Præterea, si ad Etymologiam me conferam, dubiæ alias argumentationis asylum, invenio Saldur derivari â verbo at salda, dispergere, disseminare, quod iterum descendit â verbo at sa, Danicè at saae; unde Sad vel Sædi, quemadmodum *satum*, à *sero*, quod idem est, et eundem admittit significatum. Hoc mensuræ genus frequens fuit, vel familiare apud Islandos et Norvegos. Capitulum, sive Membrana Bergensis ejusdem facit mentionem:

 nimi-

nimirum Kyrkian a Rinden i Fœdiadal tekr i Helli-landi þriw Sald, og einn halfr Laupr: item, Sældz Kornþynd, tólf Laupar. id est: *Templum Rindense, in valle Fœdina situm, tria possidet sata, in fundo Hellelande, insuper vicesimam sati partem. Sati frumentarii decima, binos valet sextarios.* idem mihi hic est Saldur et Sældjugr; et si qua distinctio diminutiva forte intercesserit, non est mei instituti eandem exenterare: difficile enim est veteris mensuræ genera exactè determinare: nam *Choa* Græcorum et *Chus* tribus circiter respondent Cantharis (Kannen;) Canthari autem 24. nostrum adimplent Quadrantal. Patet etiam ex Edda Sæmundi Sald mensuram liquidorum denotare, ubi Thorus tria sata hydromelis exhausisse fertur:

Drakk Sifjar-Verr
Sald þriw Mjadar.

§. 3.

Secundum pro vindicanda veterum Islandorum agricultura, argumentum, Leges exhibent, tàm civiles, quàm Ecclesiasticæ; nec non Tabulæ possessionum Ecclesiasticarum (Maal-dagar), quæ vergente seculo XIVto ab Episcopo Skalholtensi, Wilchino, conscriptæ, in hodiernum usque diem, regia

acce-

accedente authoritate, inſtar Legum habentur. Pauca ſaltem utrinqueſecus loca adferam: Jus Canonicum Thorlaci et Ketilli, Epiſcoporum, Anno 1122. conditum, Cap. 2. de iis, quos jure divino in Cœmeterio ſepelire licet; et Johannis Archi-epiſcopi Nidar-Oſienſis, Anno 1253. concinnatum, Cap. 11. & 28. ubi de Laboribus, feſtis diebus licitis, unà permittunt: *ante omnia feſta* (quæ aliàs proximè præcedente die non niſi ad horam tertiam pomeridianam labores exercere licuit) *ad Veſperam usque metere fœnum, et frumentum horreis importare.* Multa inſuper loca adferri poſſent ex L.L. Islandorum Civilibus, Agriculturæ mentionem haud obſcurè injicientia: Nempe Graa-gaas, in Titulo, de fundorum recuperatione (Landa-Brygdi) Cap. 19. et 34. Jarn-ſyda, de Juribus prædiorum agens; Codex Magni, Legum Emendatoris, in titulo, qui verſatur circa prædiorum locationes et conductiones (Landz-leigu Balkr) quàmplurima de agris obſervanda præcipiunt; quæ hic exſcribere ſuperſedeo, indicare ſaltem contentus: Vid. Cap. 5. 9. 11. 14. 15. 25. 26. 31. 32. 33. &c. Præter hæc Tabulæ, quas ſupra allegavi, Wilchinianæ, non tantum Islandis in uſu fuiſſe agriculturam; ſed, quod magis eſt notandum, ſeculo nondum XIVto prorſus obſoleviſſe, ſatis evincunt;

cunt; (a) unde sequentia transscribere libet. De Templo Goilverja-bajensi in Nomarchia Arnesensi, inter alia recensent: „Kyrkjan a Akur-land undir Sældjng Korns „a Lopt-stødum, og Þara med, sem nægist. Þeir (Gaulverjar) eiga Skipshøfn, Naust, Fjoos, og Korn-gard atgjora, id est: *Templum Goil-verjabajense in prædio Lopt-staden-si, tantam possidet agri portionem, quantam occupat frumenti satum,* (b) *et algam* [eidem stercorationi] *sufficientem* (c) *illis verò* (sc. Goilverjabajensibus) *incumbit portûs, naustibulorum, bovilis et horrei sustentatio.* De Templo Teigensi: Mariu-Kyrkjan i Tegl a „Sauld Korns. Þar hefr aukist um-framm „Marl-daga Herra Michaëlis vj. Kw-gilldi, „half þridja Mork vax, tvo Sauld Korns. id est: „ *Templum Teigense B. Virgini sacrum,* „*satum possidet frumenti. Aucta est hæc* „*possessiuncula, ex quo Dominus Michaël reditus* „*Ecclesiasticos in codicillos retulit, sex vaccæ* „*ferreæ æquimentis, binis cum dimidia ceræ* „*marcis, et satis, frumenti duobus.*„ De „Templo Breida-bol-stadensi, in australi Islandia: „Þangad skal giallda Vætt Miøls „wr Hauji, Vætt Mjols wr þyckvabæ; „*Pendetur illi è prædio Hauve, Octogepondium fa-*„*rinæ, Vættáque,* (quod idem est) *farinæ è villa Thycka-bajensi.*

De

De Templo Gardensi, in Nomarchia Guldbringensi: „Jon, med Gudz Miskun „Biskup i Skal-Hollti, giörir kunnigt, at „Anno 1340. xvj. Kal. Jan. keyptum Vier „vid Bjarna bonda Gutt-ormson, af Sta-„darins vegna i Skaal-hollti; at hann haati; „at hann til Stadarins leggi Fjórdunginn „i Ut-skaala landi, med øllum þeim hlu-„tum og hlunnindum, sem þartil liggia og „legit hafa, ad fornu og nyu; umm-framm „øll þau akur-laund, sem Bjarni keypti til „Utskaala; id est: *Johannes, Dei gratiâ, Epi-„scopus Skal-holtensis notum facit, quod Anno* „1340. *cum villico Bjarnone Guttormi, emptio-„nis contractum, in gratiam Cathedræ Skal-holtensis „iniverimus, hunc in modum, ut ille* (Bjarno,) „*quartam prædioli Ut-skalensis partem, cum sin-„gulis eô pertinentibus accidentiis, et usu, et fru-„ctibus, qui illi jam adhærent, vel olim adhæse-„runt, agris insuper omnibus, quos Bjarno prædi-„cto prædio Ut-skâlensi, pretio adquisivit, eman-„cipet.„* De Templo Vatns-fiördensi in Occidentali Islandia: „Kyrkjan a Saud-jørd i „Reykjanesi, sem vill, og þara nytjar. id „est: *ad Templum pertinet in tractu Reykja-ne-„sensi, pro lubitu, sementis, et* (ad eam pro-„movendam) *algarum usus.„* De Templo Gufudalensi in Nomarchia Bardastrandensium: „Kyrkjan a Akur-gerdi undir Hrau-

 ni

ni a Skaalanesi." id est: *"Templum possidet "agrum, sepimentis munitum, in tractu Skaala- "nesensium.* De Templo Mikla-holltensi, in "Præfectura Hnappa-dalensi, Occidentalis "Islandiæ: "Kyrkjan a Naust-uppgiørd i "Skogarnesi, og Akur-land. id est: *Tem- "plo est privilegium exstruendi in fundo Skógarnesen- "si, naustibulum, sementemque faciendi.* De Tem- "plo Kelldugnwpensi: "Kyrkjan a mæli "Korns, eda halfa Vætt matar: id est: *Tem- "plum possidet modium frumenti, vel Semi-vættam "(quadragepondium) cibariorum.* De Templo *"Kyrkjubajensi:* Þessar i-tølur a Stadrinn: "at Heatwnum skal fodra fiorar Kyr og Vetr- "wng; og greida Vætt Miøls. id est: *Hæ "sunt sedi pastorali possessiunculæ: in prædio Hau- "tun, quatuor vaccarum, et annum nati juvenci "pabulum; necnon Octogepondium farinæ.* De Cœ- "nobio Vid-eyensi habet Codex Bessastaden- "sis membranaceus: Stadr i Vid-ey skal "eiga þar (a Holmi) beit so mørgum Hros- "sum, sem Vid-eyingar vilja, hvert Sinn, "eptir Vid er farit, utan Twns og Akra; "Vatn og Elldi-vid, at medan þeir vinna "ad Vidnum. id est: *Monasterii Vid-eyensis "operis, dum in Latifundio Holmensi materiantur, "integrum esto totidem equos pascuis immittere, quot "opus: excipiuntur tamen prata fœnisecio destinata,*

"et

„et agri: aquarum haustus, et locus tentorii, dum „cædendis arboribus allaborant, liberé conceditur.„

a) Quæ hactenus attuli argumenta veteris Islandorum agriculturæ ex Tabulis possessionum Ecclesiasticarum Episcopi Wilchini, satis probant, seculo XIV. agrorum cultionem adhuc in usu fuisse Islandis: nam ad Annum 1403. mortem obiit laudatus Præsul, Bergis Norvegorum, postquàm brevi antea tempore Tabulas bonorum in Islandia Ecclesiasticorum concinnaverat.

b) Vid. sect. 2. Lit.c.

c) Hinc patet, non deesse Islandis, maritimis inprimis, stercorationem, utpote sufficienti algarum copia instructis; quæ, cum antiquis temporibus stercorationi sit adhibita, quin & hodie eidem usui esse queat, quid impediat, non video.

§ 4.

Tertium agriculturæ Islandorum antiquæ documentum sunt denominatæ ab agrorum cultu in singulis Insulæ Quartis villæ, locaque hodie inculta, (a) quæ licet inde præsenti tempore non obtineant nomen, rudera tamen septorum, quibus agri circummuniti, et à se invicem distincti fuere, cuivis advertenti sistunt. (b) Præterea solum, plurimis in locis, fabam, vicias, avenam, sativis quidem, (ut necesse est) multo inferiores, sponte producit, quæ tamen haud absurdè credi possunt vestigia veteris agriculturæ; quamvis in multis locis, ubi nascuntur, transformata

tot annorum decurſu terræ facies aliud fortaſſe ſvadeat (c). His, quæ hactenus attulimus, ſatis probatum eſt, apud veteres Islandos, primis habitatæ Inſulæ ſeculis in uſu fuiſſe agrorum cultum; nec ante finem ſeculi XIVti penitus exſpiraſſe (d). Adeoque inſtituti poſcit ratio, ut ſequenti ſectione cauſas poſtea obſoletæ, quàm poſſum veriſſimè expediam.

a) Complura dantur in Islandia prædia, quæ ab agricultura denominationem obtinent: Ex. gr. Akrar in Nomarchia Myrenſi Occidentalis Islandiæ, ubi vulgò traditur veteres ſementem feciſſe. Akrar in Præfectura Skaga-fiördenſi. vid. Hiſt. Sturl. parte 7. Cap. 20. Akrar in Nomarchia Thingeyenſi, borealis Islandiæ; et Akr in Territorio Thiſtil-fiördenſium, ubi manifeſtiſſimà adhuc comparent veſtigia agriculturæ. In Præfectura Huna-Vatnenſi, prædium, quod dicitur Akr, declivi Noto-lybicum verſus, ad Lacum Hrnavatn ſitu. Akranes, integra Borgarfiördenſium in auſtrali Islandia, Parochia, è cujus medio mons exſurgit modicæ altitudinis, Akrafiall dictus: heic olim frumenti tanta erat copia, ut in vicina loca divenditum fuerit; teſte Hiſt. Sturl. parte 6. Cap. 47. Akur-hollt in tractu Hnappadalenſi Occidentalis Islandiæ. Akr et Akurtradir in Præfectura Snæ-fellenſi.

b)

b) Quædam etiam in ſinu Breidafiordenſi Occidentalis Islandiæ ſunt Inſulæ, ab agrorum cultu, Akur-eyar dictæ, quæ rudera adhuc agrorum monſtrant; et ex plana ſoli ſuperficie vomeri quondam ſubjectas fuiſſe, haud abſurdè conjicere licet. In Præfecturæ Dalenſis Territorio, Saur-bæ dicto, non procul à prædio Olafsdal, ſub montis cujusdam radicibus, veterum conſpiciuntur agrorum formæ, declinante in planitiem ſubſtratam ſitu excurrentium. His quoque ſimilia agricultionis antiquæ veſtigia cernere licet in Nomarchia Thing-eyenſi, quæ tamen Islandiæ eſt maximè borealis, et quidem multis in locis. Plura certè in Islandia conſpiciuntur agrorum rudera, quæ heic nominatim enumerare non operæ pretium, nec cuidam ſingula, niſi pagatim totam Inſulam pervaganti, innoteſcere poſſunt.

c) Fabæ in Nomarchia Strandenſi, in locis arenoſis, ſponte naſcuntur, referentibus Obſervat. Curioſ. in Islandia, in Ephemeridib. Anni 1755. quæ num in uſum convertantur ab accolis, et ad juſtam perveniant maturitatem, nullâ certitudine fultus, nondum aſſero. In Leiraar-Ey Borgarfiordenſium, nec non in quibusdam Inſulis ſinus Breidafiord viciæ ſponte proveniunt; haud tamen

magna copiâ, adcóque nulli adhibitæ usui. In una prædictarum Insularum ipse admodum puer, propriis collegi manibus Prisanarum quoddam genus, ex quo pulmentum confici curavi, quod gustum referebat præ nimia dulcedine vomitorium. Avenæ etiam, Incolis Melr, sive Mel-staung, Sand-hafri:) quas Celeberrimus Linnæus in Flor. Lapp. num. 43. describit, passim insigni copiâ proveniunt, vulgo agrorum indicia veterum creditæ, multisque in locis ab incolis ubere metuntur proventu, tanquam vaccarum lactariarum pastui accommodatissimæ. In Nomarchia Thingeyensi ad lacum My-vatn, et in Tesquis Mödru - dalensibus optimum equis præstant pastum, qui illis adeo saginati conspiciuntur, ut nunquam ad stabulum melius. In Nomarchia etiam Hnappe - dalensi, ubi loca quædam maritima ejusmodi luxuriantur fructu; ubi, excusso inter metendum è folliculis nucleo, terram circumjectam albescere observatum est: Unde certum est, has ad justam maturitatem pervenire posse ante consvetum metendi frumenti tempus, quod Augusto exeunti aut Septembri ineunti coincidit.

d) Agriculturæ studium seculo XIV. degenerasse, et magis magisque friguisse ob varia inco-

incolarum incommoda, et, quæ infeſtarunt terram mala, qui dicit, me habebit conſentientem: Nam auctor vitæ Epiſcopi Gudmundi, eodem ſeculô conſcriptæ, ita refert Cap. 2. „Skógr er þar einginn, utan Bjørk; og li⸗„tilshættar Korn vex i fæm stødum Sunn„an⸗landz; og þó ei, nema Bygg. (*Nullæ ibi ſylvæ, niſi betularum; exiguum ſaltem in paucis auſtralis Islandiæ locis frumentum provenit; non tamen niſi hordeum.*

SEC-

SECTIO SECUNDA
EXHIBENS CAUSAS EXSOLETÆ IN ISLANDIA AGRICULTURÆ.

§. I.

Jam eò me cogit propoſiti ratio, ut cauſas exſoletæ in Islandia agriculturæ pro eâ, quà par eſt, probabilitate, adducam; ideoque nec memet falli, nec alios fallere puto, dum primam & principalem pono, primorum, qui hanc Inſulam occupârunt, ruditatem in fundanda Republica a); quippe qui, primô habitatæ Inſulæ ſemi-ſeculo, Reipublicæ ne umbram quidem habuerunt. Omnia enim privata, rudiſſimæ confuſæque Polyarchiæ, ſive verius Anarchiæ vel Ochlocratiæ variis caſibus jactabantur, juris ac injuriæ, nullô exſiſtente diſcrimine, niſi quod ſua quemque, potentiores inprimis, virtus juberet: Immò, nullô deinde cum monitu Ulf-ljóti cujusdam de inferendis è Norvagia legibus meditari inciperent. Rudiores hæ fuiſſe videntur, quàm ut propagandæ per ſecula genti, et commodis Reipublicæ ritè ſtabiliendis, ſuf-

ſufficerent: Nulla enim benè conſtitutæ Reipublicæ Fundamenta jeciſſe videntur.

a) Non mirari Lectorem credo, quòd tanquam cauſam primariam decreſcentis in Islandia agros colendi diligentiæ, vel, ſi mavis, nunquam ritè ſtabilitæ, hanc afferam. Conſideret modò, quanta olim fuerit cura et ſollicitudo Magiſtratus in agricolis, ab omni vi et injuria, tàm in pace, quàm in bello vindicandis; quod non tantum leges agrariæ Romanorum, et aliarum gentium circa agriculturam, verſantes Conſtitutiones, ſatis evincunt. Talia ſi lubet inſpicere Privilegia et immunitates, accedito *Franciſcum de Samtonazario à Ripa;* nec non Conſtitutiones Imperii, quæ Anno 1548. in Comitiis Auguſtanis, et Anno 1570. in Comitiis Spirenſibus; nec non in Sanctionibus Politicis, Francofurti, Anno 1577. promulgatæ ſunt. Huc etiam referri poteſt, utpote primis, ſi non hodiernis Islandiæ incolis accommodatiſſimum, quòd Camerarius, Cent. 2. pag. m. 204. 205 de Hybernia refert: „*Licet autem* „*concederetur Hiberniam aliquando participem* „*fuiſſe fœlicitatis Venetæ Urbis, quod tamdiu libe-* „*ra manſerit; tamen maxima pars fœlicitatis, quà* „*Venetiæ floruerunt, defuit; videlicet Concordia* „*& bonæ Leges.*

§. 2.

Inter cauſas agriculturæ in Islandia, primis ab occupata trecentis, et quod excurrit, annis, nequaquàm ritè ſtabilitæ, referri eti-

etiam merentur frequentès incolarum tunc temporis peregrinationes, cum extraneorum Principum, Regumque signa satellitiáque sequendi, tum pyraticam mercaturámque exercendi studio institutæ (a); queìs eò vehementius dediti fuerunt, quo majori duxerunt ignominiæ, & obscuritatis prorsus vitandæ, partas majorum sudore et periculo Opes, sine tentamine novas addendi, domi consumere b): Quapropter multi olim juvenes, cœtera haud ignobiles, suæ duxere laudi, ut, antequam matrimonium contraherent, juvenilem ætatem mercando exercerent, et peregrinando, c) quô necessariò factum est, ut, cœteroquin forte non adeo ingens, agricolarum numerus non mediocriter acccideretur. d)

a) Vide Differt. Doctiss. Joh. Erici de peregrinationib. Veter. Island. edit. Hafniæ, 1755.

b) Barth. Antiquitt. Dan. Lib. II. Cap. 9. pag. 437.

c) Thorlaci sancti Hist. Cap. 3. de Thorkillo Thorlaci patre refert: „Hann var „Farmadr, adur Pau Kona hans giørdu „Bw. id est: *navigando se exercuerat, antequam cum Uxore sua habitare cœpit.* Simile quid de As-björno et Sörlone Robusto, Skeg-

Skeggonis Mid-fiordensis cognatis, refert Hist. Thorderi Hrædu.

d) Insigne ab agriculturæ studio et aliâ reifamiliaris curâ avocamentum fuisse, quæ, itineris, et navis in quocunque casu dirigendæ, causâ, fiebat, peregre proficiscentium et nautarum conscriptionem, nemo inficias ibit; monstrante id Indorum & aliarum gentium consvetudine, sancientium, ut agricolæ, ob securam opus faciendi licentiam, â militia, Urbe, et negotiis publicis immunes essent. Cam. Med. Hist. p. 52. Cap. 5. Plin. Lib. 18. Cap. 16. Requirebant etiam veterum Islandorum justæ staturæ naves, et navigandi tunc temporis ratio, nautas complures, quorum identidem auxere numerum, haud pauci vectores, exteras videndi nationes desidero accensi; adeoque sæpe 30. 40. 50. imo 90. in una eademque navi oceano se commisere Islandi: Ex. gr. Cod. Flatey. de Holta-björnone, ad ann. 1284. refert: „Braut „Hollta Bjarna-Brwssu vid Fær-eyar, og „tyndust 50. Menn; id est: „*Navigium Holta-Biornonis ad littora Fær-öarum comminutum est, et 50. homines demersi*.„ Idem ad ann. 1301. Þat Sumar fór utan Gyrdir Biskup og Helgi Abóti, og nærri 90. Menn, „og hyggia Menn, at þat Skip hafi farist. „id est: *Eadem æstate Gyrdus Episcopus Helgo-*

„que

*„que Abbas 90. ferè convectorum comitatu ſti-
„pati, peregre profecti ſunt; vulgòque creditur na-
„vem undis abſorbtam eſſe.*

§ 3.

Præterea flagrans circa XII ſeculi finem & ſupra XIII medium, quæ primates, de ſumma rerum decertantes, populumque totum in contraria diſtraxit ſtudia, civilis flamma belli, cauſa neglectæ, haud invalidior videtur agriculturæ; quotcunque enim armis pares ferendis à remotioribus ſæpe Inſulæ locis conquiri potuerunt, ut injurias ab aris & focis alterutrius altercantium partis, amolirentur, acciti, non potuerunt non efficere, quin à reifamiliaris cura incolas, qui eâ occupabantur, avocarent; præſertim, cum agricultura, tamporis & aëris obſervatione, præ cœteris, ut patet negotiis domeſticis indigeat: Nec ſivit accitæ, ad ſuppetias inferiori parti ferendas, turbæ genius; nec imminens illis, qui manus forte dare coacti fuerunt, damnum, periclitantis lateri unquam deeſſe, dum diſſidia flagrabant, et, ad agrum colendum redire domum. Erat namque victoribus moris, non minore in amicos devictorum, eorumque fortunas, quàm in ipſos debellatos crudelitate graſſari. Accedit etiam, dicto agriculturæ damno cognatum, et quod bella neceſſariò inteſtina comitabatur, malum, caſtra ſcilicet illa, in quibus annuam ſæpè commorationem habere

bere cogebantur nonnulli (incolis *Setur*), qvò concita ad defendendas nobilium villas Rusticorum multitudo, proprio sæpe sumtu vivere necesse habuit, maximo fortunarum & reifamiliaris neglectu & detrimento; quôcum agriculturæ etiam damnum indivulso conjunctum fuisse nexu, nemini non liqvet.

His si qvis objecerit, potuisse nihilominus complures, qvos tunc temporis veteres aluere coloni, servos & operas, tàm agriculturam, qvàm cætera rei domesticæ negotia, absentibus Dominis curare, nec ea multum in pejus mutari, & degenerare, vel per continuam illam bellorum iliadem, potuisse; tunc primò pro me respondet Palladius: *Præsentia Domini est profectus agri* a). Deinde agriculturæ in terra, vomeri haud satis subacta, certissimam esse indolem, ut procurandæ inducias, perficiendæ intercapedinem, minime patiatur, &, quæ sementi continua debetur, diligentiæ fraudem; nec soli cœliqve exercitium, aërisqve vicissitudines, socordes præstolentur agricolas, neminem credo latet. Servos etiam fideli semper in Dominos præsentes, nedum absentes, fuisse animô, libertati cæteroqvin nunqvam non ingementes, exempla dissvadent, ut credam b): Potuerunt qvoqve servi, longâ interdum à Dominis castra seqventibus distantia sejuncti, cum ra-

 tio

tio tandem laborum esset reddenda, multa tempori imputare, varias incuriæ causas prætendere, meritasque socordiæ eludere pœnas: Nec demonstratum deniqve est, tot omnes vel habuisse, vel domi, bello grassante, reliqvisse servos, qvot diligenti adeò & laboriosæ agrorum curæ suffecêre; cùm compertum sit, pauciores sæpe domi remansisse, qvi bello alias strenui & dominorum periclitantium latere digni censebantur; sed Dominum secutos vel occubuisse, vel saltem bellicis interfuisse tumultibus.

a) Eandem etiam sententiam fovisse C. Quint. Cinnat. patet; dum à vomere consul in urbem, obticens aliqvantisper & lacrymabundus ducitur, dicendo: *Ergo agellus hoc anno non feretur, & de victu periclitabimur.* Et postea, ad dictaturæ & 24. fascium cum securibus oblationem indignanter respondendo: *peribit ergo hujus qvoqve anni fructus ob meas occupationes, & malè omnes esuriemus.*

b) vid. Servorum Hjörleifi, primi in Islandia agricolæ, exemplum, Lib. Origg. Island. Lib. 1. Cap. 6.

§. 4.

Ex hactenus dictis, de veteris Islandorum agriculturæ impedimentis, occasionem fortassè qvis arripiet, argumentandi ad incolarum tunc temporis pigritiam, & alienam ab agricul-

cultione indolem; quæ communia olim, uti nationibus corporis exercitia, utpote generosi animi indicia, plus justo amplexis, ita & Islandis vitia non omnino denegare possum a). Mirum etenim non est, primos Islandiæ incolas, armis & piraticæ innutritos, mutatâ vitæ ratione haud optimos factos esse agricolas; sed bellicosæ eorum indoli, ac peregrè inter ancipitia clarescendi desiderio, magis fuit consentaneum, exteras adire regiones, piraticam exercere, mercesqve, qvibus abundabant, lucrosiori necessariorum conqvisitu, cum peregrinis commutare (vide §. 2), qvàm agris insudare, & anni aërisqve exspectatione animum metu sæpe versare.

Haud qvoqve exiguum adjecit huic indoli incitamentum, capta ex peregrinando gloria & speciosa virtutis compensatio; ob præstitam enim, sæpe fortuitò, sæpius datâ operâ, contra Regum regniqve inimicos opem; vel ob generis, roboris, rerumque gerendarum celebritatem, iis, qvi in aulis Norvegiæ, Daniæ, & Angliæ Regum stipendia freqventes facere solebant, Islandis, non Norvegiæ tantum, sed aliarum etiam regionum, Reges Principesqve onustas frumento aliisqve mercibus necessariis naues donantes, frumenti propria industria educendi, ex parte saltem fecere vacationem, dum magis semper honorificum vide-

retur, ornatos regia amicitia commeatus gladio parare, & reducere domum, qvàm inglorii vomeris fructus domeſtico labore conqvirere b). His ſtrenui patrum majorumqve poſteri inſiſtebant veſtigiis, donec peregrinandi facilitas, deſvetudine Martis, ſeculo XIII. pedetentim collabi cœpit, ut & priſtinæ ſolertia Oeconomiæ, qvæ jam non majus qvàm antea agriculturæ ingeneravit ſtudium. Hiſtorias enim antiqvas leviter inſpicienti patet, frumentum, ligna, & plurima, quæ neceſſitas poſtulavit, exteros adtuliſſe, ipſis incolis, niſi controverſiæ, novarum rerum curioſitas, vel religio, peregrè evocarent, extra patriam non profectis. Quô factum eſt, ut animadvertentes, ſuffecturam mercium copiam adduci, incolæ potius fortè duxerint, adductas emi vitæ neceſſitates, de qvibus, malè eousqve culta, illis non ſufficienter providit terra, qvàm ſuſpectæ demum, ob deſvetudinem, agros majorum colendi, nedum novos aperiendi, dexteritati ſe credere; præſertim poſt annum 1262. qvô, ſeſe Norvegiæ Regno ſponte ſubjicientes, ab Haqvino Haqvini filio imprudenter ſtipulati ſunt, ut de navibus, extraneis mercibus, qveis Inſula maximè indigeret, refertis, qvotannis Islandiæ proſpiceret c); qvod deditionis pactum obſo-

ſoleſcentis exinde in Islandia agriculturæ cauſis, ideò vel maximè accenſeri meretur.

a) Hoc in caſu, ſpecioſâ ſatis, immo certâ, ad veteres Islandos ratione, referri poteſt qvod Dn. Simon Pelloutier in *Hiſtoire des Celtes*, de Gallis & Germanis ſcribit Cap. 12. p. 122. *Mepriſant l'agriculture, qu'ils regardoient comme une occupation baſſe, ſervile, & tout à fait indigne d'un homme d'épée, s'imaginant, qu'il y avoit plus de grandeur & de nobleſſe, à vivre de pillage, que du travail de ſes mains, ils ne ſe foucioient d'examiner, à qvoi elles pouvoient être propres &c.* vid. Pauſan. Arcad. Cap. 17. pag. 634. Diodor. Sic. Libr. 5. pag. 210. 211.

b) vid. Hiſt. Vatnsdæl. Capp. 12. 20. Laxdæl. Capp. 20. 28. Niaul. Cap. 88. & 33.

c) Crymog. Lib. 3. pag. 107.

§. 5.

Straverat, præter hactenus allata, agriculturæ negligendæ viam, lethalium ſeculo 13 & 14 morborum freqventia; ſi tunc plane deletam dixerim, non erravero; ad minimùm mecum facit Hiſtoriarum de eâ poſt finem ſeculi XIV ſilentium; ingens enim lues, 1258. in unico Midfiordenſium borealis Islandiæ territorio, quadringentos homines vivis exe-

 mit

mit a); morborum epidemicorum clades, reliqvis elapſos malis, annis præſertim 1370. 80. nec non 1389. b), in ipſo pœne ortu interceperunt; his ſuperſtites, vel poſtea natos, denuo abſtulit, quæ ab anno 1399. ad 1402 c), (vel, ut aliis placet, à 1400. ad 1403) graſſata eſt lues, cujus tanta erat ſævitia, ut in Parochia Kyrkiu-bajenſi, ſtatim ſub ejus initium 675. iis qui poſtea mortui ſunt, numerum ferè ſuperantibus, illicò ſint extincti, & tàm Cathedra Schalholtenſis, qvàm Thyckva-bajenſe Monaſterium, ſuis non ſemel nudaretur incolis d). Peſtis deniqve immanis anni 1350. totam ferè Inſulam incolis adeò vacuam fecit, ut permulta loca nunquam poſtea iterum ſint habitata. (*Hungurvaka*).

His etiam accedit fames illa ingens, & annonæ caritas, quæ annis 1355. 75. 76. 77. eſt graſſata; inprimis tamen annorum 76 & 84 e) inclementia, quæ omnem ſuperavit hominum memoriam; anno etiam 77 tantus in boreali Islandiæ Quadra intereundi erat metus, ut vota publica, pro placando Numine, ſancto Gudmundo nuncuparentur. (*Codex Flateyenſis*). Hinc facilis, imò probabilis conjectura; paucos admodum, quos ſuperſtites mala hæcce fecerant, abjectâ

pror-

prorſus agrorum curâ, pecoribus, quæ ſi non ſolæ, præcipuæ tamen (ut Taciti utar verbis, *Germ.* Cap. 5.) plerisqve Islandis, ſunt & fuerunt opes, piſcatui, & id genus vitæ ſuſtentaculis, incertô ſementis fœnore præcocioribus, operam dediſſe. A Deditionis præterea tempore, anno 1262. ad ſeculi decimi quarti finem, rebus Islandicis nova paulatim induci cœpit facies. Ceſſavit propriis facta navibus mercatura, agrorum cultio, ſalis fabrica, & ejusmodi priſtinæ majorum Oeconomiæ inſtituta: Qvam cauſam mecum agnoſcet & originem hodiernæ Islandorum miſeriæ, vel qvi tantum non cœcus & luſcus eſt.

a) Præter hanc peſtem, etiam inſignem hominum, morbo & fame peremtorum, ſtragem memorant Annales Flateyenſes ad annum 1284. cum multorum conjunctam latifundiorum deſolatione. Anno 1301. "Manndaudi hinn mikli, i Fljótum og Skagafirdi, "id eſt: „*magna illa hominum clades in Fljótenſium & Skagfiordenſium territoriis.* Anno 1309. "Sótt-drep-ſoott hin mikla fyrir nordan "Land. id eſt: " *magna in Islandia boreali graſſabatur peſtis.* Et anno inſeqventi: So mikil Boolna-ſoott, at menn ſwnudu ſundur.) *tanta variolorum contagies, ut corpora ægrotantium putredine diſſolverentur.*

b) Peſtem, qvæ multos vivis exemit anno 1380. fuiſſe variolos, anno verò 1389. Pſoram, idem teſtatur Codex Flateyenſis.

c) De horrenda illa mortalium clade, qvæ anno 1402. Regionem miſerrimè vexavit, ita ſcribit ann. cit. author. „anno 1402. "kom wt. ſo mikel Brada-ſoott w Skipi "Hval-Einars Herjólfſſonar, at Menn ur- "du daudir innan Priggia naatta: aleyddi "þá vyda Bæi, og þeir ei ſiaalfbjarga, ſem ey- "tirlifdu. ᵹ ᵹ Liſdi einginn eptir aa Skaal- "hollti, fyrir utan Biſkup og two Leik-menn. id eſt: anno 1402. *Navi Hval-Einaris Herjólfi filii ab exteris reverſâ, adeò repentina Islandiæ illata eſt contagies, ut homines intra tria nycthemeria abſumeret: tunc paſſim prædia incolis prorſus nudabantur; ſuperſtites verò gerendæ ſuimet ipſorum curæ haud qvaqvam pares fuere. Skalholti*, quæ ſedes eſt Epiſcopalis, *nemo contagione vivus evaſit, excepto Præſule & duobus laicis.* Hanc, qvi proximis poſtea annis exceperunt peſtem, annorum 1403. 4. 7. 8. contagioſi varioli, morbique epidemici, reliqvis malis ſuperſtites funditus deleviſſe videntur; unde patet, poſt tot tantasqve clades, multitudinem colonorum immenſum qvid acciſam, reſiduumqve vulgus tutiſſimô contentum fuiſſe victualium apparatu; neqve vires, neqve numerum,

agris

agris colendis, priſtinæve majorum Oeconomiæ ritè perſeqvendæ, ſuffeciſſe. Hinc mutationem ſubiit inſignem ſeculo decimo qvinto incolarum ſtatus & vivendi ratio; neglectâ enim ob paucitatem ſerviriorum agriculturâ, ſoli fœno incumbebant pecoribus colligendo, ut ſatis inde haberent lactis, butyri, caſeorum, carnis, &c. itemqve piſcium capturæ, ne opus haberent neceſſario carere victu. Ab hoc etiam tempore Europæi, magis qvàm antea piſcaturæ ſe dedere cœperunt; unde Annales noſtri, ceu inſolitum qvid commemorant 30. naves peregrinas, Islandiam anno - - - - piſcandi gratiâ circumluſtraſſe.

d) An hac in peſte, an vero illâ, qvæ 1350 Inſulam infeſtavit, integræ in hunc usque diem deſertæ, Parochiæ deſolatæ ſint; Ex. gr. *Alptafiördenſe territorium*, qvodvillarum rudera vel hodie paſſim oſtendit: Langa-vatns dalr etiam, qvi amœniſſimus qvondam habitationis locus, inter Nomarchiam Myrenſem & Dalenſem in occidentali Islandia ſe læte lateqve extendit, non eſt qvod decidam: Certum interea eſt, Lángavatns-dalenſem Parochiam benè habitatam, villisqve plenam fuiſſe anno 1255. cum Thorgillus Skardi, ad ambiendas Paſtoris loci filiæ nuptias, utpote

te in ea Insulæ parte opulentissimi, iter aggressus est.

e) Annonæ illa caritas, (qvam compilatores ann. Skalholt. ad annum 1384. referunt) adeò dilucidè describitur: Þat var Sumar hardt, og spilltust mjøg Akrar og Hey, id est: *"Eadem æstate adeò inclemens aëris fuit constitutio, ut agrorum & fœnisecioru valdè defraudaretur proventus."* adeoqve annonæ caritatem, quæ illis temporibus incidit, qvibus agricultura veterum degenerare jam cœperat, inter causas obsolescentis haud temere constituo.

§. 6.

Hactenus me causarum obsoletæ prorsus à seculi XIV fine Islandorum agriculturæ, qvaliscunqve occupavit expositio. Quô autem, tribus, quæ inde delapsa sunt, cum dimidio, seculis, sine omni restaurandæ conatu neglectam jacuisse mirantibus ulterius satisfaciam; rei qvàm verissimè reddam rationem a).

Postqvam repullulantium paulatim ex malorum, qvæ supra memoravi, reliqviis, novorum crescere cœpit incolarum multitudo, negotia domestica, qvibus pueri assvefacti fuerant, maturiores seqvebantur rustici; rei nempe pecuariæ & piscaturæ, ceu potissimis tunc vitæ ad-

adminiculis, solummodo intenti, veterum verò agriculturæ nec modum neqve media cognovère; fortè sibi haud facilè persvaderi passi, modò qvis persvaserit, eam cognitâ & præsenti victus parandi ratione potiorem esse, qvæ communis plebi mens esse solet. Hinc, si qvis sanioris plebe judicii, tale qvid tentare voluisset, nulla adfuit opus ritè instituendi peritia, nulla instrumentorum cognitio, nedum apparatus, funditus deletis, qvi huic unqvam interfuerant operi, nisi peregrinorum impetrarentur beneficio, sumptibus privatorum ut plurimum nimis arduô. Huc etiam haud exiguum facit Præfectorum Regiorum in Islandia, Magistratusqve Politici ignorantia, qvi exteri natione, exterarum tantum gentium naturam & mores, cœli soliqve peregrini temperiem cognovere, annósqve primum complures provinciæ cognoscendæ impendere coacti fuissent, priusquam, licet seriò id cogitassent, neglectam tàm Politiæ, qvam Oeconomiæ restaurationem ritè aggrederentur; unde interdum, priusqvam id sibi negotii sumsere, stipendium meruisse contenti, qvod illis S. R. M. persolveret, soli natalis dulcedine capti, Regionem deseruere. Et, si qvi forte publicæ miseriæ gnari rememedia unqvam viderunt, ordinationi statui restituendo apta, curam inde & labores in se haud du-

dubiè redundaturos non facilè ſuſceperunt; nemini qvippe ſuorum in poſterum inſervituros. Hinc cœteri Politiæ Magiſtri, ad prætorum ſilentium, quibus cœteroqvin maxima, qvæcunqve Reipublicæ felicitas poſtularet, apud Reges exponendi fuit auctoritas: obſtupere omnes, intentiqve ora tenebant.

Hac in parte etiam ſuum præſtitêre præconceptæ opiniones, à propolis, non tantum exterorum, ſed & incolarum animis, de Islandiâ ad agriculturam inhabili, ingeneratæ, qvibus ſudes ſemper in oculis fuit vel minima qvidem Reipublicæ Islandicæ emendatio, utpote exercitis, inoffenſo longi temporis ſucceſſu, imposturis haud proficua; id qvod facilius efficere poterant, qvò majorem, ſatis alias temerarii, ſuam hac in re adulati ſunt experientiam: quibus rite perpenſis, *vulgi à priſtina vivendi ratione diſceſſus*; *Magiſtratus Politici incuria*; *& Propolarum in propria commoda, vel cum inſulæ detrimento, promovenda, ſtudium*, plurimorum, qvæ tot impreſſos libros hodie commaculant, de inepta terræ juxta ac incolarum natura præjudiciorum, *ferax*; ſufficientem conſtituunt cauſam non reſtauratæ, prædicti temporis intervallô, Islandorum agriculturæ.

a) Scio eqvidem, qvosdam ſupponere, majores noſtros labore ſuperſediſſe agros colendi, propter fruſtratam ſpem matureſcentis frumenti: conjectura nullam facit probationem. Hiſtoriæ ad minimum ſatis evincunt, Færöas, aliqvot retro ſeculis, agrorum cultu caruiſſe, ducentosqve, & qvod excurrit antè annos, paucos ſaltem ruſticos Suduröyæ ſementem feciſſe; exin verò expertum eſt, frumentum ſingulas Færöenſium Inſulas abundè producere. Et qvod plagæ Norvegiæ borealis, qvæ aliqvòt retro ſeculis ne hilum de agricultura meritæ ſunt, hodiè, modò debita agris vigilantia non ceſſet, omnigenâ frumenti varietate ſuperbiant, vid. *Poul Juels* Goede Bonde, Cap. 15.

SEC-

SECTIO TERTIA, *AGRICULTURAM, PRÆSENTI TEMPORE, IN ISLANDIA RESTAURARI POSSE, SISTENS.*

§. I.

Causæ, ab exteris, de nativa soli Islandici sterilitate & ad agros aperiendas inertiâ, allatæ, qvas supra memoravimus, omnes eò recidunt, ut clima Islandorum, cujus nomine mihi veniunt elementa vegetabilium, nimirum terra, aqva, aër & calor, frumenti & id genus aliorum vegetationis impatiens, prorsus faciant. Hæc an ita se habeant, jam examinandum est. Qvà attinet soli Islandici indolem; diversa in diversis locis occurrunt terræ genera, pro multiplici, qvam terra identidem subiit, mutatione, unde & densitas telluris frugiferæ minor hic qvàm alibi adest. Perplurimæ autem se offerunt terræ species, qvas omnes hic enumerare propositi brevitas vetat, præcipuas indicare sva-

ſvadet. Prima eſt terra *campeſtris* Vall-lendi, fœcunditate inſignis, utpote mollis & nigra, nitrô maximè abundans, qvôd ſal eſt fertilitatis, & anima vegetabilium: illud qvippe & per ſe humidum eſt, & adventitium humorem detinet, virtuteqve pollet aperiendi poros ſeminum, cum etiam naturæ ſit ſpiritalis. Secunda eſt *terra argillacea* (incolis Leyr-jørd) ſatis denſa, humorem ſub cruſta diu retinens, quamvis calore æſtivo nimium qvid indureſcat. Tertia ſoli Islandici ſpecies eſt *arenoſa* (Sand-jørd), dura nempe, rara, & ſitibunda; adeoqve inter viliores numeranda; nobis enim concipitur, tanqvam acervus lapidum, cujus particulæ ſabuloſæ totidem ſunt lapides minutiſſimi, exiguam ergo materiam ſemini aptam continens: hæc tamen fertiliſſima evadere poteſt argilla cyaneâ, vel terrâ paluſtri admixta: *Muſcoſa*, (Moſajørd) qvæ ſpongioſior eſt, & arenaceâ levior, citius humores admittit: *Paluſtris*, (Myrlendi) qvæ defluentes ab editioribus recipit aqvas, ab iisdemqve ſtagnantibus putreſcit, niſi foſſis & aqvagiis præmuniatur: *Saxoſa*, (Grittjørd) qvæ ex ingeſta lapidum rupturis terra multifarias protrudit herbas. Singulas has terræ ſpecies proprias ſibi habere plantas herbasqve, in manifeto eſt, nec fertilitaſte prorſus deſti-

deſtitui. Falſò enim creditur, Inſulam indiſcriminatim ſtratum eſſe lapideum, vel contiguo ſaxetorum & montium tractu Islandiæ conſtitui ſuperficiem; Qvamvis id fatendum ſit, horrendam in qvibusdam locis maritimis ſe offerre faciem, rupibus aſperis & præruptis, nîl niſi ſterilitatem adnavigantibus minantem, inprimis nautis exoticis, nîl præter ſalum, & inſtitoribus, nil præter lucrum, ſapientibus. Verum enim verò interiora Regionis peragranti, mox alia apparebit ſoli conſtitutio: etenim non tantum integras parochias & planities amœnis herbis fœcundas cerneres, ſine deformi ſaxetorum interſtinctu; immò valles, qvæ ſolô gaudent roſcidô, rivisqve freqventer irrigatæ, montes paſſim interſecant, qvorum etiam in ſummitate conſpiciuntur vaſti planitierum tractus; ubi, experientiâ teſte, eqvi pecudesqve non æſtate ſolum, ſed per integras hyemes paſcua habent optima, ne ſemel qvidem ad ſtabulum, vel ſub tectum recepti.

Hæc Islandiæ deformitas! hæc ſoli Islandici inæqvalitas, extraneis cauſa ſterilitatis! Sed perfaciles concedamus, montes in Islandia ex fortuitis partim terræ mutationibus originem habere; nihilo tamen ſecius ſunt effectus benignitatis & ſapientiæ divinæ, ut plurimis

rimis inſervirent uſibus. Montes enim in Islandia, ſicut alibi terrarum, qvaſi mammæ telluris conſiderandi ſunt, ex qvibus, qvicqvid in ea reperitur, ſuccum trahit. Ex illis enim fluvii & fontes oriuntur, terræ rigandæ & fœcundandæ valdè neceſſarii; temperiem frigoris & caloris moderantur: contra ventorum inclementiam tutamento ſunt: Uſum præſtant inſignem in vaporibus pluvialibus congregandis, atqve inter certos terræ tractus retinendis, animalibus, non tantum alimenta, ſed receptacula præbent. Vallium etiam declivitates plurimum fertilitatis ubertatisqve regioni cuidam adferunt; qvippe varius & multiformis cœli ſoliqve adſpectus, ad omnis generis res procreandas eſt aptus. Præterea calor ille nativus, qvô qvidem omnia gignuntur atqve foventur, intra montium viſcera & cavernas incluſus anfractibus, ac, pro loci ratione, variè affectus, multiplicia rerum genera procreat, ac ſimul cum humore variè mixtus & temperatus, terram multô optimôqve ſuccô â ſe imbutam, mirificè fertilem reddit fœcundamqve. Hinc patet, montes valleſqve regioni cuivis fertilitatem conciliare; & qvi experientiam, optimam veritatis magiſtram, conſulit, nullus mirabitur, ex collibus & montibus adjacentibus humores profluentes ſolum fœcundare

ſubjectum; nam humiliores & montibus circumdati terræ tractus, frugibus, floribus, graminibusqve adeò ſolent luxuriare, ut animantibus qvibusvis ſummam adferant voluptatem; immò majora ſibi vindicant elogia, qvàm heic recenſeri operæ ſit pretium.

§. 2.

Aqva, ſecundum plantarum elementum & cauſa vegetationis, nec non incrementi omnium vegetabilium; utpote qvæ præparatur & diſtillatur per cetera elementa, in Islandia non minus ac alibi terrarum, præter eam, qvæ è cœlo ſub forma pluviæ, nivis, & grandinis defluit, eſt fontana, fluviatilis, paludoſa & putealis. Pluvia, Nix a), & grando vaporesqve aërei excepti à terra, tum in devexo fluunt, tum qvoqve a terra abſorbentur, eandémqve ad diverſam penetrant altitudinem, pro varia telluris conſtitutione. Aqva fontana inqvinatur ſæpiuſculè iis partibus, qvas in terra, qvam perfluit, ſolubiles invenit; ſive hæ ſint ſales, vitriola, ſulphura, ſapones, nitra, vel aliud generis corpora; qvod evincunt fontes & thermæ Islandiæ, multis in locis reperiundi b); Quæ aqvarum ſpecies haud exiguum faciunt ad qvarumvis plantarum & vegetabilium maturitatem,

tem, tàm in Islandia, qvàm in Regionibus auſtralioribus.

a) De utilitate nivis in vegetatione plantarum legi meretur Plinius, Lib. 17. cap. 2. ita ſcribens: "*Alioqvi vota arborum, frugumqve,* "*communia ſunt, nives diutinas ſedere. Cauſa* "*non ſolum, qvia animam terræ evaneſcentem* "*exhalatione includunt & comprimunt, retroqve* "*agunt in vires frugum & radices*, &c. Borrichius etiam de Ortu & Progreſſu chemiæ, p. m. 11. *Enimvero in nivibus illis, plebi calcatis, oleum latere aurei coloris, qvod terris fœcunditatem immulgeat.* vid. D. Th. Barthol. De uſu nivis, p. m. 8.

b) De cœteris aqvæ ſpeciebus vegetationi plantarum inſervientibus doctiſſimè ſcribit Muſchenbrœck, Elem. Phyſ. pag. 283. 88.

§ 3.

Qvod attinet tertium plantarum Elementum, Aërem nempe, qvi, ut ad vitam animalium neceſſarius eſt, ita qvoqve præcipua eſt cauſa vegetationis vegetabilium, a): Tum hic in Islandia diverſus eſt, pro diverſa terræ ſuperficie, adeoqve diverſimodè agit in herbas plantásqve ſubnaſcentes, viciſſitudinésqve, reſpectu ſitus locorum, ſubit qvàm plurimas:

Aliter enim agit in valles, convalles; aliter in planities, declivia, depressiora; aliter deniqve in editissima montium, orasqve maritimas b). Fatendum est etiam, mutari posse a plurimis, qvæ forte incidunt, ex. gr. tempestatibus & ventis, prout eorum qvalitates qvandoqve discrepant c); nec minus ab exhalationibus & vaporibus, respectu locorum & regionum notabiliter variat.

a) Neminem latet, qvòd nullum semen in vacuo terræ commissum satumqve germinet, ut in aperto aëre, immo omnes plantæ, vel musci minimi fuerint, vel aqvatiles algæ, in locò, â qvo abest aër, aut ubi idem assiduò stagnans qviescit, statim moriuntur, vid. Philos. Trans. N. 23. Bœrhave Chem. vol. 1, pag. 428.

b) In confesso est, cœlum plerumqve in tractibus montanis, sudum esse & serenum, unde hyems rigida & nivium plena, frigusqve immane tamdiu durans, donec pluviis mitigetur: E contra aër, qvi maritimam cingit oram, minus adfundit frigoris, sed nebulosus est, & nivibus non æqvè ac pluviis prægnans, ob vaporum nempe, qvos aqva marina copiosè fundit, ubertatem.

c) Nemo inficias ibit, ventos meridionales plus cœteris prægnantes esse humido; Boreales & Orientales ficciores; neqve tamen nos latet, in qvibusdam locis ventos meridionales, qvando illis à parte meridionali montes occurrant nive tecti, frigidos fieri.

§. 4.

§ 4.

Calorem plantarum & vegetabilium itidem elementum eſſe, immo animam, non minus ac aqvam iisdem cibum & potum, ut ita dicam, nemini non conſtat: Calor enim humorem radicibus hauſtum expandit, & in nutrimentum vertit; qvod inde patet; qvia decreſcente autumno calore, creſcere deſir planta; nec tamen in univerſum omnia vegetabilia æqve magnum reqvirunt calorem. Conſiderari ergo debet ſecundum ſuos Gradus a), Tempus b), Durationem c), & Conſvetudinem d). Qvà enim gradum attinet, non eadem caloris frigorisqve ratio ubiqve terrarum eſt. Ut enim ſedes frigoris dici merentur loca Polo utriqve proxima; ita etiam Regiones æqvatori proximè adjacentes, domicilium caloris audiri. Terræ verò, qvæ ab æqvatore, ſive auſtrum ſive boream verſus, pari diſtantia jacent, eandem habent caloris & frigoris rationem e). Unde ergo ſiniſtrum nimis qvorundam judicium, de climate, qvò ſupra modum immiti Islandiam frigeſcere credunt, qvaſi polo arctico præ omnibus aliis orbis terrarum partibus adglutinatam, adeòqve eam propter perpetuam frigoris & glaciei vehementiam, communibus fœcunditatis legibus, prorſus exemtam eſſe? borealis tamen latitudinem ultra gr. 66. ſe non exten-

dere, & confeqventer Circulum Arcticum non fupergredi. E contra vero, non tantum varias Europæ regiones eandem imo majorem boream verfus habere latitudinem, qvæ tamen gravi adeo fterilitatis notâ, experientiâ fcilicet contranitente, non perftringuntur; verum etiam qvasdam Americæ & Afiæ partes? Unde ergo inqvam frigoris illa intenfitas, qvæ Islandiam, præ modo dictis regionibus ad frugum usqve percipiendarum defperationem adurat? Nam cum Polum Arcticum, intenfiffimi, qvo terræ borealiores vexantur, frigoris proprium effe domicilium & qvafi centrum concipiam, a qvo radii frigorifici, eâdem progreffione, in regiones æqvali diftantia fejunctas, feruntur; caufam vix perfpicio, cur hi majores, uti adverfariis placet, habeant, ad omnia, qvæ Islandico folo committuntur, extinguenda vires, qvam qvos actu exercent, in fata Borealis Norvegiæ, Lapponiæ Svecicæ, & Mofcoviæ Septentrionalis, qvarum quædam loca, non fine fructu & felici fucceffu nihilominus culta, injuriæ Poli arctici magis funt expofita, qvam qvæ maxime Islandiæ partes, nifi forte rationes mutuare vifum cuidam fuerit, ex foli, per tot annos indurati, & ob juftæ culturæ neglectum occallefcentis, conftitutione. Qvod fi recte fe habeat, exoletæ agrorum cultionis incommoda

moda mecum confirmat, minime vero ejusdem restaurandæ impossibilitatem (f). Insignem qvidem confiteor noxam noctes frigidiores sementi afferre; temporis tamen & locorum discrimine. Patet enim huic cœli injuriæ potissimum obnoxios esse agros Septentrionem spectantes, unde liqvet, periti esse officium agricolæ, ut de aptô, & ad cœli soliqve constitutionem accommodato agri situ sit sollicitus, præsertim in terrâ, ad agriculturam, post varios casus, post tot discrimina rerum, aperiendâ. Prætera zonæ septentrionalis *temperatæ*, nedum *frigidæ*, incolis communis est noctium glacialium freqventia: hyeme qvidem tales non desiderantur; sed hæ, hoc termino in censum non veniunt, verum qvæ tempore verno, æstivo, autumnali, & temporibus anni mitioribus insperatæ incidunt, reiqve sementariæ sunt periculosæ. In specie, qvæ verê circa sementis tempus faciendæ solum infestant, sæpissimè in locis borealioribus cum seminum morte conjunctæ sunt, in locis inprimis depressioribus, aqvæ residentis qvasi receptaculis, in editis vero & siccioribus non item. Qvæ æstatem intersecant nocturna frigora, exsurgentes ex satis herbarum culmos identidem substringunt, succumqve nutritium exhauriunt, certo in posterum sementariæ rei detri-

mento. Autumnalia deniqve qvando se intrudunt gelicidia, maturitati facile, immo qvibusdam in locis certæ fructuum spei remoram & virus immedicabile facessunt (g). Attamen hæc omnia, incommoda tantum, agriculturæ Islandicæ cum reliqvâ boreali communia, non vero illius impossibilitatem probant, gentium, qvibus similia, imo eadem, qvotannis mala, læti tamen agrorum proventus, exemplis protinus refutandam.

a) Heic non attinet qvicqvam dicere de *Zona Calidiore*, cujus plantæ feliciter crescunt sub gr. 50-70. nec de plantis Zonæ temperatæ subcalidæ, sub. 30-40 gr. sed de Zonâ frigidissimâ, cujus plantæ intensissimum sustinere possunt frigus; calorem contra fortiorem, qvantum v. c. hypocausta brumalia (Orangerier) præbent, si Svecorum experimentis credamus, minime toleraturæ; qvales certè sunt omnes herbæ, qvæ editissimis montium jugis proveniunt.

b) Tempus etiam, qvo unaqvævis planta evolvi debet, ex climatis sive caloris constitutione investigari oportet; nam multa loca æstatem habent cum nobis hyems est, ideoqve fit,ut qvædam herba in Svecia noctu floreat, qvæ in solo nativo interdiu floret; sic. e. g. *Mira-*

Mirabilis æſtate vergente, Svecis floret, ſed nativo ſolo ſalvâ ad huc æſtate; ſic & *Hæmantus Africanus*, & id genus alia, qvæ naſcuntur circa Caput bonæ ſpei.

c) Nemini non patet, matureſcendi celeritatem ex longitudine æſtatis, polorumqve vicinia pendere, qvamvis non in totum. In terris enim polo proximis æſtates qvidem ſunt breviores, et longiores ex adverſo dies, vegetabilium maturitatem immane qvantum accleraturæ. Hinc Gallis, licet æſtates longiores ſint, qvam Norvegis,Lapponibus, Svecis, tardius tamen plantæ matureſcunt, computatione, a prima progerminatione, ad fructus ferendi initium factâ. In cauſa ſane noctes ſunt Pariſiis ſubfrigidiuſculæ, qvibus qvieſcunt plantæ, adeoqve plures reqvirunt dies ad maturitatem. E contra in Islandia, non ſecus ac in Lapponia, ubi noctes fere nullæ ſunt, herbæ die & noctu inoffenſo pede creſcere poſſunt.

d) Conſvetudo etiam haud exiguum facit ad frugum maturitatem, nam transportata ab auſtralioribus orbis terrarum plagis ſemina vel plantæ, tardius proveniunt in regionibus borealibus primo transplantationis anno, qvam ex his enata ſemina, dum iterum con-

D 5 ſerun-

feruntur; qvin, proximâ æftate citius protuberant, qvam initio; id ipfum probat Nicotiana Svecis indigena, qvæ, qvippe Climati magis adfvefacta, exoticam integro menfe prævertit.

e) Inftant complures, in Islandia tantum frigoris effe, tam longe protrahi hyemem, ut parum ideo fertilitatis in fe habeat prædura tellus. Sed hic refpondeo, cum Hiftoria contentionis inter Scythas & Ægyptios de prærogativa unius præ altero, ex libr. 2. Juftini C. 3. ubi argumenta Scytharum, has noftras boreales plagas fine dubio fpectantia, rei veritatem fatis evidenter evincunt. His addo, qvod etiam admirandum eft, qvod licet hyems cum menfe Octobri per Norlandias fub grad. 63-64. 65. initium fumat, & ad medium fere Majum, nive & glacie omnibus obductis duret, (non obftante, qvod infra illos gradus hyems valde inconftans fuerit, adeo ut fementem facere non poffint ante finem Maji.) attamen æqvè cito ac fub 55 & 54. gr. & inferius, metant, hoc eft, menfe Augufto, qvamvis hi pofteriores ab initio Aprilis feverint. Secundum vetus proverbium Svecorum: Så Rog Laurentii (die 10mo Augufti), Korn och Hafra Tiburtii (14 Aprilis). Ex qvo haud obfcurè concludi poteft, vel in ipfo etiam fri-

frigore eximiam latere vim fertilitatis; & si non in frigore, saltem in nive vis illa latet, de qvo vid. Dan. Rellanders Gothoburgensis eruditam Dissert. de Rubo humili, Ed. Upsalis 1716. §. 2. p. m. 4. Et qvod porro Islandiam, â multis immiti damnatam cœlo, attinet, conferendæ sunt Observationes Meteorologicæ Svecorum anni 1741. cum Horrebovianis annorum 1749-50. 51. in Islandia factis; qvibus evincitur, vehementius in Svecia incidisse frigus 25to die Junii, qvam unqvam, vel saltem rarissimè, in Islandia, hoc anni tempore. vid. Swensk. Wetensk. Acad. Handl. Vol. 2. p. 65, ne de intensissimo in Svecia annorum 1739-40-41. frigore dicam. Præterea compertum est, in Svecia boreali sementem cum fructu fieri usqve ad Circulum Polarem Arcticum, sive ad 70 circiter gr. Lat. Boreal. Vid. Acta Ejusd. Societ. ad annum 1742. pag. 271. Conf. etiam Observ. Meteorolog. 1744. ab Ol. Ped. Hiorter concinnatas, (vol. 2) nec non 1745-6. (vol. 5). Hic etiam notari meretur Calor haud exiguus, in Islandia hac circiter qvotannis tempestate, e.g. Ao. 1752. d. 6to Julii in Thermometro Farenheit. adscensus ad gr. 86. observatus est; Septimo ejusdem mensis die, ad gr. 104. Octavo, ad gr. 103. referentibus Observ. Curios. in Islandia, in Ephemerid. ejusd. anni.

ni. Ut hic taceam alias caufas, a conftitutione foli Islandici dependentes caloremqve adaugentes, nempe quas notiores unicuiqve effe puto, qvam ut eas hic prolixè enumerare operæ fit pretium.

f) De hac re præ cœteris videndus eft Dn. *Simon Pelloutier* Cap. 12. pag. 123. ubi feqventia adfert: *La chofe arrivera à peine une fois dans dix ans; il eft donc inconteftable, qve le climat des Gaules, de la Germanie, & de la Thrace, a changé, & qu'il eft confiderablement adouci en comparaifon de ce, qu'il etoit autrefois. C'eft aux Naturaliftes, à en rechercher la veritable raifon. Peut-être qu'il s'exhale des terres cultivées des Vapeurs &c.*

g) Hinc concludere licet, agrum in Islandia parandum, ficcum effe debere, non humidum nimis, utpote frigori magis obnoxium; ficcus enim, parvi indigus lætamenti, non tantum â vi frigoris & gelu præ humido liber eft, fed fructus certioris ferax evadit, de qvo poftea.

§. 5.

Ex hactenus dictis, qvà elementa plantarum, fatis fuperqve unicuiqve liqvet, Islandiam, nulli cœterarum orbis arctoi terrarum, eidem

eidem climati subjacentium naturâ secundam esse posse, modo debita terræ, per tot secula a vomere qviescenti, adhiberetur cura; sed hoc, proh dolor, post veteris Islandorum agriculturæ interitum, hactenus, qvod scio, factum non est. Licet enim Sræ Regiæ Majestatis Clementissimâ pro Islandis non secus ac aliis subditis curâ, & auspicio nunqvam satis laudando, renovandæ ibi sementis initium, qvatuor circiter retro annis cœpisse debuisset. Attamen hactenus non tantum insolita, prædicto temporis intervallo, aëris inclementia, optato successui forsitan pessulum obdidit; sed, eorum maximè, qvos opus moderari oportuisset, ut & Jutorum Norvegorumqve ipsi labori destinatorum, partim sancta simplicitas, partim ignorantia, negligentia, qvin antiqvi moris tenacitas, salubriora utplurimum respuens consilia. Operis moderatores qvod attinet, ne per cancellos qvidem, operis hujusce divini inspexerunt fundamentum (a); nec id forte omnino ab eisdem potuit sperari, utpote literis & officiis civilibus magis, qvam stivis & ligonibus natis. Ipsi vero operarii etiamsi agriculturæ in solo natali adsveti fuerunt, attamen ceteroqvin desidiæ & torpori addicti, nihil hac in re præstare potuerunt; qvin agros aperire, in terra rudi, & post tot secula ob qvietem luxuriante, horum diligenti-

tiam, si vel aliqvam adhibuissent, magnopere superavit negotium (b); unde nonnulli tædio capti, certissimo ignorantiæ & desidiæ præmio, abitum a vomere per fas & nefas maturavere, ad domum qvisque suam avolitantes. Ideoqve non mirum, qvod agricultura Islandica, qvæ maximi utiqve est moliminis, per tales homunciones restaurata non sit, qvod ulterius probatum ibo in seqventibus.

a) De his, si occasio tulerit olim, prolixius agam, alia, qvæ ad Oeconomiam & vitam Islandorum Domesticam & Politicam pertinent, tractaturus.

b) Qvod de Sialandis, extra omnem Contradictionis aleam verè scripsit Anonymus qvidam: "Bonden tænker, at, naar han 'faaer dynget og dyrket sin Jord, saadan 'som hans Fader dyrkede den, saa er der 'intet meere ved at giøre; for at ville 'gaae viidere end hans Fader gik, det var 'at mestre Gud i hans Husholdning og 'Indretning: multo magis adplicari potest non tantum ad ipsos Islandos, sed agricolas (si ita dici merentur), qvi ex exteris conqvisiti, agriculturam in Islandia restaurare hactenus non potuere, a consvetudine cæcâ,

câ, in agris colendis, ne transverſum unguem receedêre volentes.

§. 6.

Inter cautelas, qvæ in agro ſubigendo & præparando adhibendæ ſunt, ſingulis huic operi deditis notum eſſe debet, unam & eandem culturam, omni ſolo non competere, ſed pro varia natura & qvalitate, vario modo tractari debere: cumqve terræ ſpecies perplurimæ ſint in Islandia, qvarum qvasdam ſupra memoravi ſect. 3 §. 1. unicuiqve ſua debetur cultura, qvæ hactenus, ut credo, a ruſticis exoticis ei negotio deſtinatis deſiderata; præterea obſervari debet, ut ager modicè ſiccus ſit, non humidus nimis, nam frigori tunc non adeo eſt obnoxius, modo pingvis eſt, & lætamenti haud immenſum prodigus. Qvi ſi qvotannis colitur, mollis evadit, & internaſcentia exſuperat lolia fertilitate ſua. Hinc magis magisqve aptior fit ad frumentum, vel id genus alia, producenda, eorumqve maturitatem optatò accelerandam. Lætamentum etiam, agri præſtantiam valde promovet; qvippe qvod ſemen nutrit rigat & fovet; eà tamen curâ eſt adhibendum, ut ager præ nimia pingvedine, non luxurietur, qvo fit, ut caules ſive Culmi, in ipſo enaſcentiæ loco putredinem contra-

trahant, vel, cum maturitatis frugum dispendio humi prosternantur. Patet porro, agrum altius exsurgere, qvam circumjectam soli superficiem debere, præsertim ubi in loco depressiori vel plano situs est, ne aqva frigida, qvæ ex vicinia percolatur, succum fructificantem secum rapiat, aut profundius, qvam fas est, in fundum absorbeat. In declivi vero loco si aperiatur ager, de aqvagiis illi provideri oportet. Et nimis prolixum foret tales regulas, agriculturæ inservituras, sed nunqvam hactenus in Islandia observatas, enumerare.

§. 7.

Probatur præterea ignorantia, immo neglectus prædictorum (§. 5.) agriculturæ in Islandia restauratorum, eô, qvod ne semel qvidem avenas sponte sua ibi provenientes, vel alias herbas indigenas, periculi gratia faciendi, transtulêre, sed mox ê diverso ab Islandis Climate, semina qvalia talia conqvirentes, terræ eadem mandârunt, sine omni conatu, semina exotica, maceratione a), vel arte alia contra vim frigoris corroborandi b), qvod maxime necessarium est, in terra nativæ sterilitatis suspectâ; adeoqve expectata, mihi objectio, qvæ ab irrito hactenus agriculturæ restaurandæ experimento petitur, sua mole

mole cadit. Plura hic agriculturæ præsenti tempore impedimenta expectorare operæ non est pretium.

a) Per *macerationem* intelligo, seminis, non tantum in lixivio, ex vulgari & vili materia confecto, sed etiam medicato, emollitionem, quæ magnopere facit ad sementem cum fructu faciendam, vid. *Andr. Lallerstedt* facil. in physicam Introduct. Holm. 1741.

b) Complura dantur media, semen terræ mandandum ab injuria aëris & frigoris vindicandi, e. g. fumigatio artificialis, qvæ ritè instituta, contra notum qvodvis frigus semina armare potest, sed, hic si utrumqve modum explicaverim, prolixius foret. v. *Lallerstedium* libro supra citato.

§. 8.

Concedunt puta, qvod negare haudqvaqvam sustinent, adversarii, agriculturam in Islandia priscis in usu fuisse temporibus; sed forte objiciunt: solum Islandicum, utpote revolutionibus innumeris obnoxium, adeo a prima ætate degenerasse, ut ulterius non ferax sit. Sed respondeo: si Islandia,

qvoad omnes ſuas partes, ante Cataclyſmum extiterit (qvod dubitant rerum naturalium ſcrutatores), concederem, faciem illius primævam diluvio univerſali immane qvantum eſſe corruptam & immutatam, ita ut ingentes regionis tractus, vaſtis & continuis tumulis, & campis planis amœnisqve antea poſſeſſi, cauſam ad tempus dederint ſoli Islandici nativæ ſterilitati; ſed mera conjectura nullam facit probationem, nec nobis faciet fidem, præcipuè, qvum nullum habeamus, qvi hac ante nos ſpartâ defunctus, hunc nodum ſolverit a). Qvicqvid verum eſt, experimenta ſatis probant, terras feraciſſimas b), incolarum negligentiâ, infœcundas prorſus evaſiſſe, contra vero, ſolum qvam maxime ſterile, cultorum curâ, fertiliſſimam adæqvaſſe tellurem. Hinc ergo talis objectio, ſua vanitate collabitur.

a) Viderit itaqve Clariſſimus *Barnetius.* qvomodo fidem ſuam liberet, cum in ſua Theoria Telluris ſtatuit, ante Diluvium Noachicum uniformem fuiſſe & ubiqve ſui ſimilem tellurem.

b) Terra Sancta, ubi populus Dei habitabat, illa tempeſtate feraciſſima fuit, fluens

la-

lacte & melle, adeo ut militum 100000. in promtu semper haberet, sed mox accisis Judæorum viribus facultatibusqve, ejus prorsus concidit fertilitas. Sic ab ea secundæ Persia & Media fæcunditate præcelluere, qvamdiu Reipublicæ status in salvo erat vid. S. *lagerlof* in diss. de Oeconomia rustica ed. Stockholm 1714. & Dn. *Hierne* in Regno minerali, pag. 331.

§. 9.

Sed his objectionibus solvendis non immoraturus, ad argumenta me confero, qvibus dilucide ante oculos cujusvis ponam agriculturæ in Islandia possibilitatem. Primum ergo erit: cum proferat Islandia sponte nascens frumentum (Wildt Meel) in Qvadrante australi, & Tractu qvidem Sidensi, itemqve in locis septentrionem spectantibus nonnihil, utpote in Thingeyra-sande, Sigridastada-sande, & in locis lacubus Myvötn vicinis; qvamvis propter ruditatem & contemptum incolarum australia saltem in usum convertantur: Cum, inqvam, sponte nascens frumentum hæc terra ferat, cultam sine fraude idem daturam nullus dubito; adeoqve certo constat, inertiam nostram unicè caussari, qvod frumentum ab exteris redimamus, ma-

gno noſtri detrimento. Hinc qvod ſupra de transplantatione herbarum indigenarum dixi, locum habet, noſtramqve hæc omnia arguunt ignorantiam. Herbæ enim ſylveſtres nobis ſuppeditant theoriam agrorum hortorumqve culturæ; ubicunqve enim herba ſine arte ſatoria progerminat, ibi Climatis, ɔ: cœli, ſoliqve & omnium, qvæ ad herbarum vegetationem conducunt, conſtitutio talis eſt, ut herbæ progerminationi ex aſſe reſpondeat; ſic igitur arte imitari poſſet clima cultor, ut ejus ope, eandem nanciſcerentur herbæ ſativæ maturitatem, qvam, qvæ ſponte naſcuntur, qvod & alibi terrarum conſtat eſſe factum.

§. 10.

Proveniunt in Islandia ſponte ſuâ herbæ, aliis nationibus ſativæ, nimirum *Angelica*, *Rhodia*, *Arthemiſia*, *Geranium*, *Achillea*, *Tormentilla*, *Allium*, *Trifolium*, *Chamomilla*, *Salix*, *Filix*, immo *Cuminum*. Qvid ergo, ſi hæ arte ſatoria transplantarentur? qvantum adferrent uſum? Herbæ culinares vel eſculentæ, nemine dubio, in Islandia haud infelicius qvam in Sialandia matureſcunt, e. g. *Braſſica*, *Lactuca*, *Petroſelinum*, *Apium*, *Thymus*, *Majora-*

num

num, *Rapæ*, &c. qvod propriis oculis vidi. Cur ergo frumentum ibi & avenæ provenire non poſſunt, ut & aliarum, qvæ humi mandantur, herbarum vel fructuum ſemina? niſi iis de cauſis, qvas ſupra §. 5. adtuli.

§. 11.

Experimenta etiam docent, terræ Islandorum colendæ deditorum, qvod ſolum Islandicum capax ſit communis aliis Europæ Nationibus culturæ. Nomophylax qvondam *Laurentius Gottrup*, Natione Danus, Monaſterium Thingeyrenſe, locum Islandiæ maxime borealem, habitans; necnon *Gislavus Magni*, nomarchiæ Rangarvallenſis Choronomus, hæc qvidem tentarunt, ſed operarum fraudi & inertiæ, minorem, qvam ſemper perſenſerant ubertatem, acceptam ferre debuerunt. Itidem poſt meam facta ſunt memoriam experimenta a *Johanne Erichſtrupb*, qvi, Brokeyæ in ſinu Breidafiordenſi occidentalis Islandiæ habitans, &, in terra colenda laudabiliter occupatus, felici cum ſucceſſu omnia §. 10. notata expertus eſt. Præterea Linum, Cannabim & Nicotiam ſuo labore & dexterita-

 te

te ad maturitatem provocavit, exemplô aliis hodie fideliter imitandô.

§. 12.

Vix ergo dubitari poteſt, qvin agricultura in Islandia inſtaurari poſſit, ſi ritè & ſcienter hoc opus, cum Islandorum detrimento nunqvam effabili tam diu neglectum, aggredi qvis juberetur, velletqve, adhibitis, qvæ huic operi neceſſaria ſunt mediis, incruſtato imperviis cerebro.

§. 13.

Ponamus licet, qvod ſtulte ponendum eſt, frumentum non facile provenire, etiamſi contra omnem probabilitatem ſit, & nemo ſanæ mentis inficias eat, attamen perſvaſus ſum, ſi *linum perenne Sibericum* & *Urtica Siberica* in Islandia plantarentur, magnum inde uſum in incolas redundaturum, qvâ lina levidenſiora & funes Piſcatorios; hæc enim frigoris Islandici ſunt patientia a). Sic etiam *Helxine Siberica*, qvæ in Islandia præ omnibus fere ſeminibus transplantari deberet, utpote multifario uſui inſerviens b) climatiqve Islandico ſatis cognata. Huc etiam pertinet ad

ad pratorum & camporum fœnariorum emendationem, ut conqviratur *Lucerne Svedica* (Høesfrøe) & id genus semina, qvæ insigni cum fructu solo Islandico mandari possunt, c). Sed hæc præpostero hactenus conatui sunt contraria; puto igitur ex antedictis unicuiqve constare, agriculturam in Islandia non tantum esse restaurabilem, sed veterum incolarum agriculturâ magis spectabilem, lucrosam, utilemqve posse reddi. Satisfecisse me ergo existimo, his plagulis, omnibus, qvi de agricultura Islandorum restauranda dubitant; & oculis visu non carentium subjecisse, agriculturæ in Islandia restaurationem perversa methodo inceptam esse.

a) vid. Act. Oecon. Societ. Svec. ad annum 1747. p. 59.

b) In Tomo 4. Act. Oeconom. Svec. ad annum 1746. habetur de Helxine Siberica in Finlandia Svecorum, qvotannis crescente:, 'Det är mera bördigt och fruchtbart än 'all annor Såd och lönar (när det blif- 'wer på tienlig Jordmån sådt, och den Hög- 'ste gifwer en tienlig Wederlek, 3. 4 a 5 'dubbelt och der ofwer mera Mödan än an-

 'nan

'nan Såd, så at 30. 40. och 50de Kornet
'ey er sällsynt, men och ofta högre, så at
'man åfven taler om den, som efter 12
'Kappar fått 50 Tunnor, eller 125te Kor-
'net, och wet man många, som här igen-
'nomrepat sig och må vel i denna Dag.,

Ejusdem usum in Occonomia & Medicina videre licet prolixe descriptum, Act. Svec. Tom. 4. p. 41. & in Celeberrimi *Linnæi* Tractatu ad annum 1744. T. 3. His accensendæ etiam *Asphaltus*, viciæ nempe esculentæ, nec non varia fœni genera, e. g. *Avena perennis*, *Agrostis*, *Melica* &c. Qvæ omnes describuntur in Act. Societ. Sved. ad ann. 1747. *Potatoes* Svecorum insigni cum usu in Islandia crescere posset Oeconomicæ summe rei necessarium. vid. Ejusd. societ. Act. ad annum 1747.

c) Dum *Lucerne* Svedicam describit Celeberrimus C. *Linnæus* Tom. 2. Sw. Wet. Acad. Handl. 1742. p. 192-3. mentionem etiam facit Gallorum *Saint-Foin* & Lucerne Gallicæ, qvæ tamen feliciter crescere potest in terra macra, ubi arena subest tenuissimæ

cæ-

cæſpitum cruſtæ. Hæc ſi Svecici climatis eſt patiens, etiam ſine dubio Islandici.

§. 14.

Coronidis loco heic mihi obſervanda veniunt, ſi agricultura in Islandia reſtaurari debet, media, per qvæ fieri poteſt; nempe:

1) Semen, qvod ſolo committitur Islandico, ex cognato climate conqviri oporteret, utpote e Norvegia & Svecia, & Scotia fortè, atqve eò tempore, qvô non tantum ſalva ſua virtute transvehi poteſt, ſine vectorum fraude, ſed tempestive in Islandia humi mandari; qvod hactenus non factum eſt.

2) Notandum eſt, omnia grana non eſſe fructifica vel ſementi faciendæ utilia, adeoqve huic negotio præfecti ediſcere deberent diſcrimen inter album & atrum, & ſelectum habere granorum, pingvedinis & coloris habito reſpectu: Qvod hactenus non factum eſt.

3) Si Sacræ Regiæ Majeſtatis pia & fere ineffabilis in Islandiam & ejus incolas, cura & clementia, immo nunqvam ſatis laudan-

dæ, ut illos ad meliorem reducat frugem, impensæ, tale adderet tot tantisqve beneficiis complementum; ut qvidam mitteretur Islandiæ Studiosus, Beneficiis Regiis donatus, in Sveciam & Norvegiam, qvi sufficienti munitus viario, mox dictas peragraret Regiones, observaturus, non tantum terræ sementariæ indolem, agrorumqve, unius alteriusve seminis capacium, constitutionem & situm, sed & methodum agros aperiendi novos, cultos serendi, & semina pro diversitate soli rite condendi; reversus vero, in patriam, mandatis Regiis instructus, amandaretur, ut non tantum ipse vomerem seqveretur, sed imperandi haberet potestatem agricolis tam peregrinis, qvorum ἀυτὸς ἔφα hactenus oraculi instar fuit, qvam indigenis, qvibus id negotii mox incumberet.

4) Hinc talis Studiosus libros de agricultura tractantes, & ad solum natale maxime accommodatos, in linguam vernaculam transferre deberet (magno cum Typographiæ Holanæ in boreali Islandia commodo), in qvibus præcepta agriculturæ cuivis discenda prostarent; sed Inspector prædicti operis, ipse

ipſe catecheſin qvandam conſcribere poteſt agriculturæ.

5) Facile cuidam videri poſſet, ruſticos pœnâ & mulctâ ad terram colendam cogere, qvæ ſententia inconſultiorum eſt Judicum. Multo tamen majoris eſſet uſus, ſi primates Islandiæ, ſtultis, & nihil niſi antiqvum obtinentibus, ruſticis prælucerent, exemplis bonis & Reipublicæ Islandicæ utilibus: Non expedit, vel naturæ convenit humanæ, leges & formulas, ad qvas agriculturam ſuſcipere adſtringerentur, incolis imperioſè præſcribere, vel ipſos pœnarum mimis & intentationibus ad hoc adigere. Ratio: nullam habnet cognitionem de agricultura, & unde adipiſci hanc poſſunt? Præſtat vero blandimentis & admonitione eosdem ad hoc adducere.

6) Haudqvaqvam igitur abs re videtur, ut prætores, ſacerdotes, nomarchæ, & qvocunqve demum beneficio Regio præcellentes, ad agriculturam ſummo niſu reſtaurandam tenerentur, qvo ruſticus, uſum inde redundantem perſpiciens, lubenter veſtigiis eorum inſiſteret.

Hæc

Hæc tantum ſunt, B. L. qvæ memoranda mihi viſa ſunt, ne ſutor ultra crepidam audiam, novatoris cœteroqvin exoſus nomen; aliis enim relinqvo peritioribus agriculturæ, cenſuram ſuam hac de re depromere. Vix vomerem vidi, rarò terram arari conſpexi, meſſis alibi uber mihi, infortunium patriæ dolenti, ſemper lacrymas movit.
Manum ergo de ta bula.